





confat 15 gl.

3:00 May

Aug 10 g

15





CENTURIA
TERTIA

2

EPISTO-
LARUM.

Similia complexa,

Quibus

Præcepta monitaq̄ve moralia
comprehensa, exponun-
tur.

Auctore

M. FRIDERICO HILDEBRANDO,
Gymnas. Martisb. Rectore.



L I P S I Æ,

Sumpt. GEORG. HEINR. FROMMANNI.

Literis Christiani Banckmanni.

M DC LXXXIII.





SIMILIA.

I.

Ad Astra laboribus itur. Nux. Spi-
na. Aculeus apum.

QUernadmodum nucleo ve-
sci si expetas, nucem frangas, rosas
carpere si velis, spinas haut fugias
necesse est aut apum aculeos, si
mella tibi placeant, ita lubenti animo labo-
rem perferas molestiasq; toleres, Nucleo
Laudis, Virtutis Rosâ, Doctrinæqve Melle
potiturus. Amari, laudari, magni te pen-
di postulas, ignave Vatia (a) at somno de-
trahere, otio lusuiq; renunciata, libellos
volvere, movere calamos recusas, haut stul-
tè scil. sapias, si id sapere est, velle quod non
potest contingere, qui multis ante seculis
floruere Viri Clarissimi, alia his mens fuit,
alia sententia. Quis nescit Demosthenis
anteculanam industriam, quâ Orator ille in-
comparabilis non naturæ tantum impedi-
menta feliciter superavit, (b) sed posterita-

ti etiam ideam perfecti Oratoris reliquit, admirandam faciliùs, quàm imitandam, neque aliâ viâ Cicero invidendas sibi laudes dignitatesq; comparavit, unde & ipse, quo minus, inquit, ingenio possum, subsidio mihi diligentiam comparavi. Quare ad altiora qui aspirat, qui laurum auro, famamq; ve vanitati anteponit, faciat feratq;, quæ fecere, tulere Majores, facient ferentq; posteris, cum Deo emersuri.

Quisquis Apes Undasque timet Spinasq;
 roseti,
 Non Mel, non Pisces, non feret ille
 Rosas.

(a) *Sen. ep. 55. Exclamabant homines: ô Vatia, solus scis vivere, ego verò villam ejus præteriens, Vatia, agebam, hic situs est.*

(b) *Cic. lib. 1. de Orat. sub finem.*

II.

Animæ portus Ecclesia. Arca Noæh.

Cùm sacrilega hominum genera interdicitis edictisq;ve Divinis susq;ve deq;ve habitis, satanæ suisq;ve fervirent cupiditatibus liberalissimè, horrenda delinquentium

um impietate DEus irritatus, ira tandem
justissima exarsit & omnes Adami posteros
a quarum molibus montibusque obruit per-
diditque, unum Noachum, sanctioris vitæ
virum, arcam ingentem extruere jussit,
quam ille unà cum familia sua haut nume-
rosa ingressus, evasit periculum, cæteris
extra arcam animantium generibus denso
agmine pereuntibus. (a) Cum hac arca
non incommode componimus Ecclesiam,
in eandem qui receptus est per lavacrum Re-
generationis, nisi sua se incredulitate, per-
tinaci malitia & impoenitentia ultrò in abyf-
sum scelerum, rectà ad tartara ducentium,
præcipitet, certissimè servatur, cumque Pa-
gani, Turcæ, Judæi aliique impii, extra Ec-
clesiæ pomeria oberrantes, non aliter ac
Pharao in mari rubro fluctibus iræ Divinæ
merguntur, ac pessum eunt, ipse in gremio
Ecclesiæ ab omni pernicie periculoque tu-
tissimus conquiescit, sique vel fractus illa-
batur orbis cervicibus, impavidum ruinæ,
quantæ sint cunque, feriunt, (b) extra Ec-
clesiam, ut verissimè dicitur, nulla est salus,
Ecclesiam in terra Matrem, in coelo Patrem
habiturus, habeat necesse est.

(a) *Gen. c. 6. & 7.*

(b) *Horat. l. 3. Carm. Od. 3.*

III.

JESUS LUX Orbis. Vir bonus quò
superior, eò modestior.

SOL.

Fulgentissimum solis jubar radios suos
latissimè spargit & orbem universum lu-
ce adimplet admiranda, à quo sole, tan-
quam fonte lucis, omnem suum splendo-
rem ingens illa stellarum multitudo mutu-
atur. JESUS CHRISTUS vera lux est, quæ, quic-
quid in terris nascitur, illuminat, nisi ho-
minis ipsius obstet incredulitas, Christiano
extra Christum nulla est Virtus, nulla gra-
tia, vita, salus. boni quicquid ipse possidet,
JESU meritis debet, cui viva dum fide adhæ-
ret, cæteros inter mortales micat, ut luna
minora inter sidera, ab eo avulsus in tene-
bris ambulat tenditque rectà ad tenebras
tartareas. Solem sine sole videre non licet,
nec Deum cognoscere sine Deo: eleganter
Poëta:

Mira

Miraris, quod nemo videt sine Numine
Numen,

Miraris? solem quis sine sole videt?

Sol medio die, quò altior est, eò majores
excitat calores & minores facit umbras, ita
quò altiùs hominem Virtus sua doctrina-
que evexere, eò diligentius & liberalius
Deo suo suoque proximo serviat, eò etiam
submissius se gerat (a) & cogitet, quod pau-
cis elapsis horis ad occasum sol vergat tan-
demque planè occidat, ita nulla fors longa
est, ut verè ait Seneca, (b) magnis negatum
est stare diu, in hac vita insolubili vinculo
connexa sunt lucra, damna; voluptas, do-
lor; ortus, occasus.

(a) Cic. l. 1. Off. (b) Senec. in Thyest.

IV.

Virtutis Comites Gloria & In-
vidia.

Umbra.

Corpus umbra comitatur, Virtutem
gloria, gloriam invidia. Si quis vir-
tute excellat doctrinaque cæteris præstet,
invidendis ornatur encomiis, fama eum
publica semper virenti donat laureola, ne-

que desunt, qui præclare merentem colant,
 observent, diligant, pone hominem obscuro
 prognatum esse genere, brevi statura,
 forma invenusta, quali fuisse perhibetur
 Agesilaus, Spartæ Rex laudatissimus (a) si
 ingenio polleat, si à facundia plurimum
 possit, si singulari præditus Virtute, consilio
 manuque Rem juvet publicam, si à scele-
 rum grege se segreget, utramque pulcherri-
 mè fortunam ferat, vulgò quæ maximi fi-
 unt, aspernetur, Civitatis præsidium, Pa-
 triæ decus, Columnen audit familiæ, Bono-
 rum iudicio dignissimus, ad quem fasces
 cum purpura deferantur, cui primi imique
 homines ordinis assurgant; at eandem glo-
 riæ lucem umbra invidiæ comitabitur, ne-
 que unquam excellenti Viro deerit, qui fa-
 mam allatret & laudi ejus indies crescenti
 detrahat, quanquam ut umbra, ita hac in-
 vidia nihil est vanius, cum ea virtutem glo-
 riamque non obscuret ac minuat, sed illu-
 stre potius augeatque, unde vir bonus ini-
 quorum hos & invidorum susurros generoso
 animo contemnit, non aliter ac leo mi-
 norum latratus canum & assilientes fluctus
 cautes Marpesia.

(a) Corn.

(a) *Corn. Nepos in Agefil. Hic tantus Vir naturam faultricem habuit in tribuendis animi Virtutibus, maleficam nactus in corpore, exiguus & claudus altero pede.*

V.

Ingenium nobile. Vetus Adamus, Animus insolens.

EQUUS.

EQVUS generosus umbra virgæ regitur, Lignavus vix ullis calcaribus ad cursum impelli atqve incitari potest, (a) ita ingenium nobile & felici natum fidere consiliis monitisqve rectè svadentium paret, Docentis observat nutus & laudis incitatum stimulis sponte sua, non malo coactum, facit officium; animus verò degener minas ferulasqve nihil moratus, lento ad laudem gradu contendit, non aliter atqve animalculum illud in Brasilia, cui ab incessus tarditate nomen est pigritia. (b) Freni eget equus, ne suo & fessoris malo aberret à via, feratur in præcipitia, in foveam incidat, ferocis instar equi est homo vetus, quem sinu fovemus, nisi is rationis aut potius divinæ freno legis

coërceatur, in suam ipsius perniciem ruit ideoque Spiritus S. salutis nostræ quasi fatagens, ferociam veteris Adami arctiori habena compescit, subigitque, interdum etiam mordaci crucis adhibito flagello; ne sibi suisque relictus homo cupiditatibus in barathrum semet infernale præcipitet. De Bucephalo memorant Historici, quod nudus equisonem aliosque sessorum, phaleris autem instratus neminem, nisi Alexandrum R. receperit, ita sunt, qui in re tenui quosvis facile ad congressus & colloquia admittunt, fortunis & honoribus aucti altos gerunt Spiritus animoque cum calceis mutato, aditus habent difficillimos. Ita Phidippus apud Comicum: quia paululum, inquit, vobis accessit pecuniæ, sublatis animi sunt. (c)

(a) *Cobares ad Bessum apud Curt. lib. 7. §. 4.* (b) *P. Bertius in Descriptione Brasiliæ.* (c) *Ter. Act. 3, Sc. 5. Hecyræ.*

VI.

Animæ Fidelis pugna, fitis,
fons.

Cer-

CERVUS.

CRavisimè Cervus serpentem odisse di-
 citur, quem & odore & halitu suo fu-
 gat, imò è cavernis suis protractum (a) pe-
 dibus conterit, lacerat, devorat, luporum
 etiam rabiem & venatorum fugiens insidi-
 as, tela, venabula, avia & excelsa loca petit
 & in siti sua ardentissima salientis aquæ fon-
 tem anhelat. Cum cervo rectè componi-
 mus Jesum Christum, qui in terrena hæc
 castra descendit, cum dracone tartareo,
 quem unum acerrimè odit, congressurus,
 cujus & caput contrivit moriens; etiam nos
 Servatoris exemplo cum ferocissimo hoc
 hoste assiduè dimicemus ei que resistamus,
 Apostolico monito, armati fide (b) quæ ani-
 mæ scutum est, nullis penetrabile telis, cum-
 que viribus hosti tanto simus impares, Jesu
 nomen invocemus, eo precum thure accen-
 so, fugatur Satanas non aliter atque odore
 cervi serpentes; quod si quam sitim auxilii
 & solatii divini in nobis accendat periculi
 vel præsentis, vel imminentis magnitudo, si
 lupi rapaces, invidi scilicet & iniqui, si Ty-
 ranni venatores acerrimè nos vi & astu per-

sequantur, ad fontem vitæ Jesum alato pede confugiamus, certi nos impetraturos, quicquid in rem fuerit nostram, quicquid in votis & optatis, & quidem ipse amicissima nos voce invitat malorum gementes sub pondere, inqviens: venite ad me, ego reficiam vos. Fugæ vitæque pertæsi, venimus ad Te, dulcissime Jesu, animam refice, imò recipe cœloqve bea.

(a) *Plin. l. 8. Nat. Hist. c. 32.* (b) *Petrus 1. Ep. c. 5. v. 9.*

VII.

Mentis humanæ cœcitas, maxime in rebus divinis.

Noctua.

NOctua in sole caligat, in tenebris acutè videt captatqve mures, ita humana ratio in divinis rebus ac mysteriis, quæ captum ejus longè superant, cœca est, divinæ Majestatis ac Sapientiæ splendor adeò perfringit oculos mentis, ut ea, quæ clarissima sunt oculis illuminatis, non videat, non intelligat, unde & Philosophi maximi in tenebris i. e. profanis ac terrenis rebus cognoscendis & dijudicandis satis oculati, cœlesti
ve-

veritati maximè omnium restiterunt eam-
 que ut fatuam & absurdam, exploserunt,
 repudiârunt, damnârunt; ruris verò coloni,
 piscatores, carbonarii aliiqve de plebe rudi-
 ore viri eandem doctrinam ambabus, quod
 ajunt, amplexi sunt & affecti per fidem sim-
 plicem, quod negatum fuit magnis illis Do-
 ctoribus, qui caput tot factum scientiis
 quasi inter nubila condiderunt. Insipien-
 ter itaque ac poene dicam impiè faciunt, qui
 rationis suæ decempeda mysteriorum alti-
 tudinem emetiuntur atqve articulos fidei ad
 regulam normamqve Ingenii sui exigunt,
 taceat mulier in Ecclesia, Ratio, DEO lo-
 quente, obmutescat.

VIII.

Hominis Christiani Decor &
 pulchritudo.

Rosa.

Rosa Regina florum pulcherrima est.
 Quis decorem & pulchritudinem ho-
 minis Christiani enarret? Amictus ille est ra-
 dianti Justitiæ sole, quem induit sacra lotus
 unda Baptismi, neqve ulla vi aut fraude a-
 mittit, dum vera vivaqve fide Jesu Servatori
 suo

fuo adhæret. Rosam commendant candor & rubor; & Christianus candidus est ab innocentia vitæ, rubicundus à sanguine Jesu, cujus Virtute, culpæ poenitens, indies lavatur & mundatur, etiam rubore verecundiæ facies tingitur: cum enim deliquit, facti ipsum illicò pudet pigetq̄ve. Rosa odores spirat suavissimos ideoq̄ve in manibus gestatur, naribus admovetur, à Medicis etiam ob usum multiplicem laudatur. Christianus non quidem olet pastillos aut unguenta exotica, at odores Virtutum fundit fragrantissimos, cum hircos oleant impii. Spinis Rosa septa est, & Christianus calamitatum inter spinas vitæ dies exigit. Spina Rosam armat, ita ut eam sine læsione manûs tangere vix liceat, ita neq̄ve homo fidelis vigili Angelorum custodia cinctus impunè violatur. Rosa brevis ævi flosculus est, ita in terris Christiano brevis & incerta, certa & perpetua in coelo est mansio, & quid vita vel longissima est, si cum beata componatur Æternitate? momentum est, & si quid eo brevius.

IX.

Homo res fragilis & caduca.

Flos.

FLorum terra genitrix est, eadem & hominis Parens: terram gerimus, terræ munere vescimur, dum vivimus atq; è terra formati, unde primo mortalium à terra Adami nomen fuit, in morte redimus, unde venimus, & terræ mandamur. Vere & æstate pulcherrimè nobis arrident flores & colore juxta atq;ve odore oculos naresq;ve pascunt. Et homo, ut ait Seneca, mundum & elegans animal est, (a) maximè si virtute Doctrinaq;ve præstet, si dignitate excellat, si auro amictus & purpurâ incedat, quo ornatu aliàs Reges Principesq;ve omnium in se ora oculosq;ve convertunt. Flores, vel æstu ferventiore, vel asperiore vento tacti, decidunt pereuntq;ve, ita qui florent ingenio, potentia, opibus cæterisq;ve bonis, quibus potita gaudet mortalitas, cadunt celerimè, quiq;ve paulò ante steterunt incolumes & indigenis & advenis fuere admirationi, paucis pòst mensibus, diebus, horis jacent, pallent, moriuntur, venit febricula,

cula, quod dicitur, & vitam tollit & omnia
 quæ auctoritatem homini, splendorem, gra-
 tiam conciliant, quare florem cum cer-
 nimus, aut carpimus, illicò fragilitatis no-
 stræ & fugacitatis memores, superbiæ cri-
 stas ponamus, fastumque coelo gravem exu-
 amus & cogitemus: ἀνδρῶν ὁ ἀνδρῶν.

(a) *Sen. ep. 92.*

X.

Doctrinâ melior, quàm vitâ
 Magister.

Campana, Statua Mercurialis,
 Architectus Arcæ Noachi.

CAmpana pulsa alios ad sacra vocat, ne-
 que ipsa pars est Ecclesiæ, Statua mer-
 curialis ignaris viæ viam viatoribus mon-
 strat, & ipsa stat immota. Faber olim li-
 gnarius arcam Noæ extruxit, quam tamen
 ipse haut ingressus est, sed aquis diluvianis
 merfus, unâ cum cæteris mortalibus periit.
 Ita docendi quandoque munere in Ecclesia
 Scholaque funguntur, qui diserta voce ac
 magno conatu, non sine applausu coronæ
 auscultantis, ad Fidem ac Pietatem alios
 cohortantur iisque viam ad vitam ducen-
 tem

tem erudito serioq; indice commonstrant ; ipsi verò in alia eunt omnia, Ecclesia Dei exclusi, cum oratione vita moresq;ve mirabiliter pugnant, atq;ve ita facem salutaris doctrinæ aliis præferentes, in tenebris ipsi ambulant, operaq;ve tenebrarum peragendo, ad tenebrosa rectà migrant tartara, Doctores infelicissimi. Suo olim tempore q;vestus Seneca verba multos Philosophiæ, non opera tractare, (a) & nostris temporibus verba nonnulli tractant Theologiæ, opera negligunt, sunt, qui in avaritiam satis acriter invehantur, & ipsi auri sacra fame laborant, qui ebrietatem accusant, & poculis ipsi vertendis vacant, ad pacem & concordiam alios invitant & cohortantur, cum in perpetua ipsi lite ac jurgio vitam exigentes, quosvis innoxios & quietos maledictis atq;ve injuriis lacestant, *Φιλονεμίας* infames vitio. Ita qui aliis auctores sunt, ut cum timore ac tremore salutem operentur pièq;ve vivant, ad securitatis ipsi scopulum impingunt, in diem vivunt. Pietatis violant legem, atq;ve ita aliis ad vitam Duces, illuc descendunt, unde gradum revocare non licet æternum infelicissimis.

(a) Sen.

(a) *Sen. ep. 24. Turpissimum est, quod nobis objici solet, verba nos Philosophiæ, non opera tractare.*

XI.

Arbor vitæ, Fons solatii J. Christus.

Arbor admiranda in Insula Ferro.

IN Atlantico mari ad littus Africanum Insulæ aliquot sitæ sunt, quas veteres dixere Fortunatas, nostri appellant Canarias, in his una, nomine Ferro, caret aquis & solo arido est, cui malo singulari Dei providentia medetur Arbor unica, quam perpetua circumdat nubecula, ejusque ita humectat folia, ut, ex iis qui destillat liquor limpidissimus & gratissimus, vasis dispositis exceptus ab incolis, & homini & pecori sitienti sufficiat. (a) Ejusmodi insula hic mundus est, quem colimus, vanitatum, hunc ambiens oceanus aquas amaras subministrat, à quibus anima fidelis rectè abhorret, at unica in eo Arbor est Vitæ Jesus Christus, unde non guttulæ, sed toti rivuli manant solatii, gratiæ, vitæ, si æstus iræ divinæ, crucis & calamita-

mitatis miserè nos adurat, affligat, maceret, sitimq̄ve in nobis ardentissimam coelestium bonorum accendat, Jesu vulnera fontes sunt & folia semper madentia, quæ orbi universo recreando, exhilarando, beandoq̄ve sufficiunt, neq̄ve aditus ad hanc Arborem cuiquam præclusus fuit, est & erit, qui à prima mundi origine vixit, hodiè vivit & victurus est post multa secula; nemini, inquam, mortalium aqua hæc vitæ negatur, nisi qui, contempta hac Arbore, lacunas vanitatum scelerumq̄ve, quæ multorum est dementia, amat & sectatur.

(a) *P. Bert. in Descript. Insularum Canariarum p. m. 516.*

XII.

Foris quid pulchrius, intus deformius Hypocrita?

Cygnus.

MOllis & candida Cygno pluma est, at cutis sub ea latet nigra & aspera, ita Hypocrita præ se fert pietatem, candorem, amorem, humili cultu vultuq̄ve incedit, in prece & jejunio plurimus est, siq̄ve mulie-
rem

rem conspiciat, clamat, illicò: cede, fuge,
 Siren improba es, cantu, quos perdas, alli-
 cis, cum Leone & dracone tutius est, quàm
 tecum vivere & intus & in cute per sæpe ne-
 quam est hic homo, sub cucullo latet ani-
 mus flammis ardens cupiditatum & libidi-
 num, ita ut sanctus ille Pater ea interdum
 patret facinora, quibus Sodoma sulphure-
 os coelo imbres extorsit, ita in communi vi-
 ta tuta frequensqve via est per Amici falle-
 re nomen (a) imò politica habetur pruden-
 tia, si alter alterum blando sermone gestuqve
 acute sciat fallere, si quis simplici credulo-
 qve homini persvadeat, ex animo ei se velle,
 quem odit serpente pejus, si Amici damna
 dolo confictis lacrymis acerbissime deplo-
 ret cum sub persona rideat effusissime; hic
 licet candidior cygno foris appareat, plu-
 mulis hypocriseos submotis, niger est, ca-
 vebis ab eo, si sapis, nec fronti quicquam
 habebis fidei aut dictis byssinis, nisi facta
 his congruant, sæpè viridi latet angvis in
 herba, sub marmore cubat scorpius.

(a) *Ovid. l. 1. de Arte.*

XIII. Men-

XIII.

Mentem respice moresque, non
mentum aut vestem.

Emitor eqvi.

EQVUM emiturus non stratum inspicit,
frenos aut phaleras, sed ipsum equum,
torosum pectus, arduas cervices, densam
jubam, argutum caput, crura mollia, obesa
terga, quæ in generoso equo spectanda po-
tissimum esse Maro alicubi docet, (a) ita
cui fungus non est pro cerebro, hominem
non æstimat ex statura aut forma corporis,
ex veste aut conditione, sed ex ingenio mo-
ribusque, optima ingenia sæpe malè habi-
tant, ut utar Augusti verbis, sic judicantis
de Galba Oratore satis quidem disertus, at
gibboso & deformi, etiam splendida quan-
doque veste tegi inutilia terræ pondera pa-
lâm est: neque enim pileus pili mollioris,
angusti aut lati clavi tunica, ensis stellatus
jaspide, calcaria inaurata aliaque talia vi-
rum faciunt, sed Virtus, sed doctrina, exit
è casa quandoque vir magnus & sub sordido
sæpe palliolo latet sapientia, præclarè Sene-
ca in homine, ait, nihil ad rem pertinet,
quan-

quantum aret, quantum foeneret, quam pellucido poculo bibat, sed quam bonus sit (b) ita nec servus contemnendus est, licet sub alieno sit imperio, si liber sit animo, vitia vitet, cupiditatibus imperet, annon Epicte- tus servus erat & extremè homo pauper, i- dem tamen sapientiæ laude clarus, immor- talem ad posteros gloriam transmisit, herus, si serviat ambitioni, si avaritiæ, si libidini, servo frugi multò est deterior, inferior, qua- re magni æstima hominem, cujuscunqve sit fortis & conditionis, si pietatem justitiam- qve colat, si boni & æqui amans seriò faci- at, quod laudi est, fugiat, quod vitio datur.

(a) *Virg. l. 3. Georg. de Equo;*
illi ardua cervix

Argutumque caput &c. vers. 80.

(b) *Sen. ep. 76.*

XIV.

Potentiori cedendum.

Psylli

DE Psyllis, Africae populo, memorat vel historia, (a) vel fabula, quod vehe- mentiore Austri flatu offensi, arma adver- sus eundem sumserint, illatas injurias vi & armata manu vindicaturi; Auster verò ni- hil

hil inanem hanc armaturam moratus, solito
vehementius spiravit & arenarum cumulos
conflans, Pysillos omnes his operuit, vivos
que sepelivit, ita ut præter nomen nihil ho-
die superfit. Nemo est, qui ridiculè stultèque
fecisse Pysillos neget, pugnando cum hoste
tam potente, cui præter Deum non est, qui
imperet, at eadem non pauci stultitiâ labo-
rant, qui divinæ voluntati reluctati, Creato-
ris sui audacter impieque; aspernantur impe-
ria, neque; minas pluris, quam promissa faci-
unt, licet cum Pysillis eosd. poenas semper
gravissimas mansisse omnium seculorum te-
stetur Historia. Pharaon sensit supremi iram
Numinis, quando cum toto exercitu suo a-
quis, non aliter ac Pysilli arenis, obrutus est.
Xerxes sensit, qui cum tempestuoso iratus
mari marinis plagas fluctibus inflixisset, cõ-
pedes injecisset, fugam paulò post cum nu-
merosissimis copiis fecit, hosti ludibrio fuit,
suis odio & contemptui, cæsusque à famulis
Deum non temnere didicit. Sapientis est po-
tenti cedere, neque; adversus stimulum jacta-
re calces. Qui Magistratui, Parenti, Magi-
stro pertinacissimè adversatur, reluctatur,
Crabrones, quod ajunt, irritat, camarinam
mo-

mouet, (b) & suæ ipse faber est calamitatis. Cui non notum est illud Ascraei Senis (c)

Ἄφρων, ὅσῃ ἐθέλει πρὸς κρείσσονας
ἀντιφερίζει,
Νίκης τε φέρεται πρὸς τ' αἰχμασιν ἄλ-
γέα πάχει.

(a) Herod. l. 4. Ἐξ ἐξ οὗ Gell. l. 16. Noct. Att. c. 11. (b) Erasm. in Adag. suo qui struit capiti malum, Camarinam movere dicitur. (c) Hesiod. l. 1. Op.

XV.

Homo, quæ mores, quæ fortunam
mutabilis, instabilis.

Euripus.

Euripus, Ægæi maris pars est Bœotiam
inter & Eubœam, cujus undæ miranda
celeritate septies die ac nocte affluunt, re-
fluunt, cujus rei causam cum indagere non
posset Aristoteles, in Euripum se præcipi-
tem dedisse dicitur, adjiciens: cum capere
te haut possim me capias (plerique fabu-
lam hanc esse censent, licet ea Justinii Mar-
tyris testimonio confirmetur.) Quid ho-
mo?

mo? Euripus sæpe est, si mores spectes, semper, si fortunam. Certè non pauci cum pueris mutantur in horas, levi, ut mulieres, sententia. Tigellius nusquam non apparet, de quo Horatius: (a) nil fuit unquam tam impar sibi. Cato rara avis est, quem toties mutata Republ. mutatum nemo, Seneca dicente, vidit, (b) vulgus hominum modò flet, modò ridet; culpat, laudat; odit, diligit; suspicit, despicit, ea propter mobiles dixit Quirites Flaccus & Cicero, nihil, ait, incertius vulgo est, nihil tam molle, tenerum, flexibile, quàm voluntas erga nos sensusque civium, (c) id quod ipse etiam non sine malo suo maximo expertus est: nam Romani Patrem eundem Patriæ dictum Urbe pepulerunt, & paucis post mensibus restitutum humeris quasi susceptum in Patriam reportarunt. Quid? Idem Cicero, ut fortunâ, ita & moribus Euripus fuisse videtur, quippe qui Cæsarem florentem amplissimis ornat laudibus, jacentem damnat & Tyrannum esse clamitat. De fortunæ inconstantia quid addam? nihil, quod perennet aut diu duret, mortales possidemus, ignari, quid vesper, imò momentum ferat vechatque

B

pro-

proximum, quandoque Irus fit subito, qui
modò Croesus erat.

(a) *Horat. Sat. 3. l. 1. Carm.* (b) *Sen. ep.*
104. (c) *Cicero pro Milone.*

XVI.

JESU mors mors mortis,
Ichneumon.

Ichneumon, mus Indicus, Crocodilo, ut
perhibent, (a) inimicissimus, cum eo-
dem congressurus limo se oblitit ac tum
per fauces Crocodili dormientis latè didu-
ctas irrepit, & intestinis erosis, per ventrem,
qua corporis parte immanis hæc bellua mol-
lissima est, vivus in lucem redit, hoste neca-
to. Pulcherrima Christi imago Ichneumon
est, mortis, Crocodilus. Christus carne no-
stra indutus, non aliter atque Ichneumon li-
mo oblitus, ultro in horrible mortis pala-
tum infiliit eaque interemta (à morte enim
non est, quod metuat homo fidelis, cum in
somnia eat moriens, non pereat) in vitam
rediit victor & Triumphator gloriosissi-
mus. Ichneumonis hanc operam Ægyptiis
agnoverunt gratissimi, quippe qui necari
eundem veterunt, imò coluerunt pro Num-
mine

mine, uti ea gens olim (b) superstitiosissima canem & felem, porrum & cepe venerata est. Quid non gratiæ habeat referatque Jesu Servatori suo? Quam non aram, quod non monumentum ei exigat mortalitas? Basilicas ille gemmis auroque nitentes nihil moratus, in corde contrito pieque simplici habitare gaudet, quare, acta poenitentia, crede credenda ad salutem aspiranti, & age agenda homini re Christiano, ita neque Crocodilus, neque draco, neque mors, neque Satanas quicquam tibi damni ac terroris inferat.

(a) *Plin. l. 8. Nat. Histor. c. 24.* (b) *Juven. Sat. 15.*

XVII.

Certa & gravis Sacrilegii poena.

Aquilinae pennae.

Aquilinae pennae, ut perhibent, aliarum pennis avium mistae, easdem absumunt, ita si quis bona Ecclesiastica, quae pia Antiquitas divino dicavit devovitque cultui, alienet, quo jure quaque injuria ad se trahat, rapiat, in usus suos convertat, eadem

B 2

opes

opes ejus, honestè aliàs quæsitæ, quasi devorant, omnis Deo sceleris vindice sic vindicante sacrilegium. Ita legimus apud Gellium, cum Q. Cæpio exercitum Rom. duxisset in Galliam, Tolosam urbem cepit fanaque militibus diripienda reliquit, at omnes, qui quicquam rei sacræ attigerant, abstulerant, bello, fame aliisque casibus miserè perierunt, neque fuit in his sacrilegis, qui in patriam reversus sit incolumis, ipse Dux Cæpio, uti Val. Max. refert, cum summæ apicem dignitatis attigisset, in ultimam subito calamitatem prolapsus spiritum in publicis vinculis deposuit, ejusque corpus carnificis manu lancinatum, in scalis Gemoniis jacens cum horrore populi spectatum est, (a) unde aurum hodie Tolosanum habere dicuntur, qui ingentibus & fatalibus urgentur malis, etiam Brenno, Gallorum Duci, cum Delphicum Templum diripuisset, omnes bonæ felicitates fuerunt adversæ, idem experientia testatur nostri temporis, exempla taceo, quorum memoria recens est. Et quid? quævis mala lucra damnis esse æqualia, (b) proverbio discimus, malè partum, male disperit, neque eo gau-

gaudet, quod dicitur, hæres tertius; Verè
ait Græcus: κέρδιον πονηρὸν ζημίαν αἰεὶ
φέρει.

(a) *Val. Max. l. 6. c. 9.* (b) *Hes. l. 1. Op.*
κακὰ κέρδεα ἴσ' ἄτησι.

XVIII.

Tempori foroqve servicendum.

Polypus.

POLYPUS piscis est, qui colorem saxi, cui
adhæret, induit atqve ita piscatorem fa-
cilè fallit, ejusqve sæpe evadit insidias; ita
& quilibet nostrum Polypi ingenium, The-
ognidis monito, obtineat, foro uti sciat,
temporibus moribusqve hominum, hone-
stè si liceat, inserviat, sicuti Pamphilus, nar-
rante Comico, iis se dedidit, quibus cum-
cunqve fuit, eorumqve obsecutus est studi-
is, adversus nemini, quare & laudem inve-
nit sine invidia & Amicos paravit, (a) ne-
qve aliam ob causam, ut opinor, Ulyssèem
Homerus dixit ἀνδρα πολύτροπον, (b)
quam quod in longo suo exilio ad quorum-
vis sese hominum mores prudenter callidè-
qve accommodaverit. Equidem adulan-

B 3

tium

tium & assentantium causam haut tuemur, qui vel sputa Regum suorum lingunt, serua pecora, imò, vero κόλακας ἐς κόρηνας relegandos esse ducimus, neq̄ve Alcibiadem in laudatis ideo Viris ponimus, quod Athenis splendide, Spartæ parcè ac duriter, inter Persas luxuriosè, inter Thraces libidinosè vixerit, at salva fide, salva pudoris & honestatis lege, mores mutare, utq̄ve in mari ventus est, ita vela vertere, prudentis esse arbitramur, cum Catoniana austeritas invisa plerisq̄ve fit, & Studiorum morumq̄ve similitudo benevolentiam gratiamq̄ve conciliet, quisq̄vis in loco Proteus est, mea sententia, haut desipit.

(a) *Ter. Act. 1. Sc. 1. Andr.* (b) *Hom. l. 1. Odyss. ἀνδρα μοι ἔννεπε μῦθον πολὺτ' ἔργον.*

XIX.

Ingrati animi crimen foedum & execrabile.

Pullus & Porcus.

QVemadmodum pullus lacte saturatus equam aut asinam calce petit, & porcus glandibus colligendis devorandisq̄ve; unice intentus, quercum non respicit, quæ fru-

fructum sibi tam dulcem tulit, ita passim
reperias homines ingratos, qui præstiti
male memores officii non gratiæ tantum
nihil Evergetis suis habent ac referunt,
sed beneficia etiam maleficiis persæpe
pensant, contumelia eosdem afficiunt,
clam & palam traducunt, quibuscunqve
possunt, injuriis laceffunt. Ita apud Ælia-
num me aliosqve Scriptores legisse memini,
quod Plato, quem Deum suum in Epistola
quadam ad Atticum appellat Cicero, (4)
Aristotelem pullum dixerit, eo quod lu-
dum contra se Magistrum aperuerit, erro-
ris eum arguens, cui debebat, quod sape-
ret, quanquam ille veritatem sibi amicitia
cariorem esse affirmabat, amicus, inqui-
ens, Plato, at amica magis est veritas, ideo-
qve ἀχαριστίας crimine absolvendus hic
quidem esse videtur; aliàs autem nostris his
temporibus sæpe querimur de ejusmodi
pullis & porcis, qui maxima cura, labore,
molestia à Parentibus educti, à Præceptori-
bus docti, à Patronis adjuti, illos eludunt,
istos convitiis proscindunt, hos contem-
nunt, multò deteriores feris, quas Nu-
tritius suis gratiam retulisse testantur

Historiæ, luporum persæpe catulos alimus,
& viperam gremio fovemus, pro benefa-
ctis, ut loquitur Plautus, mali messem me-
tentes uberrimam. (b)

(a) *Æl. l. 4. Var. Histor. c. 9.* (b) *Plaut. in Epid. Act. 5. Sc. 2. Ut acerbum est, pro be-
nefactis cum mali messem metas.*

XX.

Dei capax Cor vacuum.

Vas.

UTi vas, aqua aliove plenum liqvore,
vini infundendi non est capax, capa-
cissimum verò vas vacuum; ita cor huma-
num, nobile illud vasculum, si foetida vani-
tatum aquâ sit oppletum, si in his terrenis
quisqviliis, quibus porci hujus seculi nimio
plus delectantur, felicitatis suæ summam
ponat, cœlestia dona non capit, dementi
sua sententia satis beatum, si habeat, quod
cupiditatibus suis immolet, ejusmodi Cor
vanum sordiumque plenum divinæ thesau-
ros gratiæ tantum curat, quantum sus ama-
racinum aut Midas aliquis dulcissimos A-
pollinæ citharæ cantus; Contra cor vacu-
um,

um, ad Deum conversum aversumque ab omni vanitate, auxilii egens & solatii, spes & vota sua ab uno Deo suspendit, oblatam ejus gratiam omni nectare & ambrosia dulciorem avidè accipit, tenet pertinacissimè minimique facit, vulgò quæ maximi fiunt.

Quare *κενεῖς οἰήσι* & *ἐμπλε* & *ἀσκός*, æquo homo addictior nihili rebus, cui cor turget tumetque fatuo fastu, inani cura, fœda libidine, impurum illud vas poenitentiae lacrymis & scopis Mosaicæ legis eluat, everrat faciatque, uti nitida semper ea fit domus, in quam S. S. Trinitas sese spopondit esse diversuram.

XXI.

Quies ignava odiosa, ignominiosa.

Coelum.

MOtu coelum perpetuo gaudet semperque volvitur, secum unà rapiens solem, lunam cæteraque sidera, ita & alacria vegetaque Ingenia, quibus igneus est vigor & coelestis origo, ignavam odere quietem, in otio de negotio cogitant, semperque domi ac fortis, quod agant cum laude fructuque,

que, reperiunt, in primis altioris adolescentibus Indolis odiosum est gliris instar domi suae latitare, in materno conquiescere gremio, neque patriae fines egredi. Mentis arduae omne solum patria est, neque maiorem quicquam ei affert voluptatem quam rite recteque instituta Peregrinatio, nihil illa laboris, molestiae, periculi subire refugit, dum explere sibi liceat ardentissimam illam cupiditatem cognoscendi discendi-que, quae nosse fructuosum simul ac decorum est. Urbica pecora, tanquam claudifutores; domesticos intra parietes latitent, & cum Vatia otio somnoque sepulta ultrò vivorum se numero excludant, coelum & astra imitari mihi libet, ideoque paternos mature lares relinquam, factisque ostendam, me ex homine natum, inter homines humano more nosse vivere, quodque hominis est haut instrenui, agam sine murmure & querela. Augustae mihi mentis placeat encomium, de qua Poëta:

Augusta nescit mens spacio capi,
 Quocumque laudum fervida vis vocat,
 Grassatur audax.

XXII.

Deo Servatori debetur gratia.

Noachus arcam extruens.

Cum horrenda iræ divinæ tempestas descenderat & aquarum illa moles, quæ infinita ferarum & hominum multitudo demersa perierat, puro sole cœloque reverso, defluerat, arca egressus Noachus cum familia sua, nec de domo extruenda, nec deserendis viribus ante cogitabat, quàm aram Domino exegisset, actisq̃ve Deo, Servatori suo, gratiis victimas immolasset, quæ ara, quæ victima quàm grata fuerit Creatori; Magistro Mose, (a) discimus; & nos decumanis sæpe malorum fluctibus non tam operimur, quàm obruimur, tota quasi calamitatum ilias cervicibus nostris illabitur, nec tamen Deus humana desertos opè deserit, sed discussis his procellis nubibusq̃ve solem reducit & naufragio non uno ereptos optato tandem portu tranquillitatis beat, quanti beneficii memoriam nulla deleat oblivio aut temporis diurnitas. Cui mens grata est, tanto Evergetæ Aram erigit, thura precum

adolet, labrorum tauros immolat. cumque
 (b) puram Deus, non plenam aspiciat ma-
 num, si quæ culparum sibi sordes adhære-
 scant, lacrymis serię poenitentię eas abluit,
 ita cum Noacho apud Deum graciosus, non
 in terris tantum divinæ fructum benedicti-
 onis capiet, sed ex ærumnosa etiam vita hac
 vocatus, Judicis aliquando vocem audiet
 optatissimam: (c) Veni, Benedicte, & adi-
 hæritatem cum sociis regnumque occu-
 pa præparatum à seculo.

(a) *Gen. 9. v. 20, 21.* (b) *P. Syrus in Mim.*
Puram DEus non plenam aspicit manum.
 (c) *Matth. 25. 34.*

XXIII.

Amor nimius nocens.

Simia.

Simia catulos suos, ut refert Plinius, ef-
 flictim amat, tamque arctè interdum
 complectitur, ut ipso eosdem complexu
 nocet. Ejusmodi simiæ esse videntur Pa-
 rentes, qui nimis arctè contenteqve habent
 liberos, ita ut nimio cocci amore ad impro-
 ba dicta factaqve conniveant, taceant, siqve
 satis

fatis sæpe enormiter delinquant, si fores effringant, obsonent, potent, ament, sumtus ipsi suggerunt, rarò eosdem objurgant, rarissimè pugno, ferula, fuste castigant, veriti, opinor, ne delicata Ingenia offendant, irritent, & duritie sua lacrymas ipsis extorqueant, inprimis Matres plerunqve adjutrices in peccato sunt his, quos pepererunt, (a) & acerrimè oderunt severiorem disciplinam, qva tamen petulans pueritia minus, qvàm igni & aqua carere potest. Ea verò indulgentia damnosissima est, & fenestram patefacit ad omnem neqvitiã, certa Dux ad ruinam, ad exitium. Certè si Eli Sacerdos (b) Filiorum flagitia acerbiore ferula castigasset, neqve filii fortasse in prælio cecidissent, hostili manu interfecti, neqve solio ipse delapsus cervices infregisset. Quare licet Parentum ἀσφειλίαν minimè probeamus, cum natura ipsi homini præcipuum quendam amorem ingeneret in eos, ut ait Cicero, quos procreavit, (c) genitorem tamen amentem esse censemus sic amantem, ut amor iste liberis occasionem præbeat peccandi, pereundi. Salomonis illud meminert Parentes : (d) odit filium, qui

qviferulæ parcit , castigat , qvi dili-
git.

(a) *Ter. Act. 5. Sc. 2. Heavtent.* (b) *1. Re-
gum c. 2. & 4.* (c) *Cic. l. 1. Off.* (d) *Prov.
3. & Ebr. 12.*

XXIV.

Proles non degener Parentis
gaudium.

Pictor.

TAbula sua mirificè pictor delectatur,
si egregiè, si affabrè pictam à se imagi-
nem spectantium turba laudet & admiretur,
neqve ipsi Roscii in ea, quam profitetur ar-
te, quod carpant, reperiant; contrà nihil ei
tristius acerbiusqve potest accidere, quàm
si oleum operamqve perdidisse se intelligat
opere infelici, intelligentium Puncta ocu-
lorum non ferente, ita Parentes omnibus in-
edunt lætitiis, sic proles, viva quasi sui
imago, paterna perlecta vestigia ad decus
& gloriam pleno gradu contendat, neqve
ad devia vitiorum præcipitia declinet. Vir-
tutisqve viam deserat ardua, ἀίχρον, inquit
Isocrates, τὰς μὲν γὰρ Φεῖς ἀπεικάζειν τὰ
καλὰ τῶν ζώων, τὰς θὲ παῖδας μὴ μιμεί-
δασαι τὰς σπαρδαίους τῶν γονέων. (a) Quod
si

se suamque familiam dedecorent, quos procrearunt, si inutiliter sumtu peregre collocato pecora domum, non decora redeant, acerbissimè dolent & Conjuges ἀπαιδας prædicant beatos, ita nulla res Majori Magistris solet esse voluptati, quàm si è disciplina sua suoque quasi sinu progressos, ad alta eniti suamque expectationem adimplere, imò superare videant; quod si signa antehac sua secutos ad deteriores animum partem applicasse cognoscant, spe sua se frustratos esse dolent & informationis sibi fructum periisse palam queruntur.

(a) *Isocr. ad Demon.*

XXV.

Potentium consuetudo nec plane fugienda, nec nimis expetenda.

Flamma.

Terrarum Dominos, Magnates cum flamma rectè conferri censeo, nam, ad eam, qui propius adstat facilè aduritur, qui longius ab eadem remotus est, friget; qui verò igni neque propinquior æquo est, neque ab eo remotior, moderato calore reficitur, non læditur. Ita Virorum Principum

cipum nimia familiaritas periculosa est, cum eorum gratia tam incerta sit, dubia, fragilis, ira verò gravis, imò plumbea, ita ut levissimas quandoque offensas manu non levi vindicent, atque ad flagella damnent ne scutica quidem dignos, unde proverbio à fulmine procul esse dicuntur, qui procul à Jove. Contrà stultè stoicus sapit & cum ratione insanit, qui Artibus iis instructus, quæ in Aulico alias viro commendantur, vocatus etiam, ab omni Potentium consortio abhorret eorumque; aspernatur benevolentiam, in quorum manu est ad opes, honores dignitatesque quemcumque velint, evehere: mea sententia sapit, qui occasionem, cum Reip. adjuvandæ, tum rei suæ consulendi, non negligit, qui, Principibus ut placeat viris, obnixè, quæ potest, facit omnia eorumque nec planè fugit, nec nimis expetit consuetudinem.

XXVI.

Vita hæc incerta, dubia, periculi plena.

Navigatio.

Quantum periculi atque incommodi cum navigatione conjunctum sit, nō-
runt

runt optimè, qui unquam mare sunt ingreſſi: ſubita enim tempeſtate orta venti depræliantes decumanos ad litora devolvunt fluctus, quibus navicula, huc illuc jaçtata, tandem undarum mole obruitur, niſi Deus ex Machina, quod ajunt, periclitantibus ſubveniat & vento fluctuiqve ſilentium imperet; taceo ſcopulos fyrtesqve, ad illos alliſa, in has prolapſa navis frangitur, abſorbetur, ob quæ tam præſentia vitæ pericula Anachariſis dubitavit, navigantes vivis, an mortuis adſcriberet, certè, qui litus portumqve attigit incolumi merce vitaqve, rectè triumphat & potenti maris Deo votivam ſuspendit tabulam. (a) Qui vivunt, navigant, & quidem in pelago, in quo nulla halcyon eſt, in Ægeo hærent, infami naufragiis & cum Palinuro (b) nimium ſereno cœlo confiſi, oppidò falluntur facileqve pereunt: nam ſurgentem felicitatis ſolem ante vespèram sæpe nubes calamitatum operiunt, & undiqvaqve ingruens malorum tempeſtas minatur ultima, nuſquam amica apparent ſidera, nuſquam ſatis fida ſtatio, moleſta, certa ac plena periculi hæc eſt vita navigatio, ideoqve cum ſanctiſſimis Viris pedem
in

in sicco tutoque ponere desiderantes, beatam indies mortem expectamus, anhelamus, ea sola portus tranquillissimus, optatissimus. (c)

(a) *Horat. od. 5. l. 1. Carm.* (b) *Virgil. l. 5. Æn. sub finem.* (c) *Sen. in Herc. Oet. Mors sola portus.*

XXVII.

Divitum quorundam mores illaudati.

Struthio.

Struthio, avis quidem maxima est, ac notæ stoliditatis, quippe quæ ova sua arena obtegit, eaque relinquit, calore solis excludenda, eumque venatoris manus & sagittas effugere nequit, caput abscondit, totum corpus ita occultatum esse ratus. Divitum non paucos cum Struthione rectè componi opinor: nam & hi pollent auctoritate suamque magnos inter viros occupant locum, regina pecunia colitur, neque est, qui nummis non præstet honorem, (a) auro quæ via in via est? Porro & hi plerumque qui opibus abundant, liberorum educationem planè negligunt, modò arenarum

narum cumulos ingentes, puta divitias, congerant, quibus sua sit proles moribus, non curant, cur, inquirunt, tanto sumtu & molestia alamus hominem otiosum, qui Pietatis & Artium præcepta liberis instillet? quid expedit egenti scientia aut locupleti nocet inscitia? Parentes de pede minus, quam calceo solliciti, ut loquitur Crates, (b) stultitiæ suæ insigne edunt specimen. Iidem cum struthione caput celant, dum mille technas comminiscuntur, quibus proximum argento emungant & opus corradant, siquæ callidè rem agant, suaquæ furta tegant fuce aliquo orationis & perjuri, fraudem impune se laturos autumant, at hi struthiones desipiunt, sagax Prudentum oculus hæc animadvertit, Deo nihil clausum est (c) qui occultissima hominum facta, imò & cogitata in lucem portrahit vindicatque.

(a) *Juv. Sat. 5. ô nummi, vobis hunc prestat honorem, vos estis fratres.* (b) *Plut. de Puerorum Educ.* (c) *Sen. ep. 83.*

XXVIII.

Mens Christiana inmota, imper-
terita.

Cau-

Cautes Marpesia.

SI horrendum in modum venti depræli-
 sentur, arbores turreſque dejiciant ædes-
 que paſſim reddant illuſtriores; ſi orta tem-
 peſtate decumani litora fluctus feriant, &
 hos & illos iramota excipit infractaque cau-
 tes Marpeſia, moveri, concuti, atteri neſcia,
 ita mens Chriſtiana, divino confiſa præſi-
 dio, fortunæ novercantis non extimeſcit
 minas, tonitrua, fulmina, pericula, quan-
 tacunqve ſint, ridet, adverſus quævis iniquo-
 rum tela impenetrabili fidei ſcuto munita,
 mediosque inter fluctus malorum tutiſſi-
 ma, mecum, inquit, eſt Dominus, à cujus
 folius nutu proſpera mea adverſaque pen-
 dent, vocatus hic aderit, promiſſi memor,
 meque ex his turbis, è re mea ſi fuerit, eri-
 piet, procellis ille ſilentium otiumque, cum
 volet, imperabit, certiffimè morigeris,
 à dextra, ſi mille, à lava decies mille cecide-
 rint, me caſus haut feriet, ſi, hoſtium quic-
 quid eſt ſupra infraque terram, in perniciem
 meam conjuraverit, & cui mens, cui ma-
 nuſ eſt, infeſta me vi doloque oppugnave-
 rit, nec metuum quicquam, nec fugiam,
 in

in statu stabo (a) sub alis divinæ & misericordiae, & potentiae tutissimus, si nulla prope modum spes emergendi apparuerit, ipse viam facile inveniet, quæ me servet inopi mihi & exuli ara & asylum Deus est. Atque ita animus Christiani instar est scopuli, cuius est Symbolum: non moveri, non concuti.

(a) *Taubmannus ad illud Plauti Act. 4. Sc. 9. Mil. glor. In statu stat senex, hæc addit: Alludit ad modum, quo Gladiatores se componebant & colligebant in arma, insigni cura sui defendendi, alteriusq; petendi, quam ex arte posituram vocabant Statum.*

XXIX.

Frons atque Oratio fallunt.
Persona.

Actor Comicus sub persona agit Regem, colonum, militem, sannionem, ad vestitum cum rediit & personam posuit, facile cognoscitur, neque oculos fallit spectantium, quid hodie non fraudis non sceleris sub persona latet hypocriseos, hæredis certè fletus ut ait P. Syrus, sub persona risus est,

est, quibus ille non lacrymis Parentis & Propinqui sui funus prosequitur? quæ non est in vultu cultuque mœstitia? ac ficci sunt oculi, cum spectator deest persona remota, patet vana, falsa fictaque; hæc esse omnia, seriò latatur, ad quem domus, agri cæteraque bona defuncti lege redeunt; ita & amicus læpe fatis blandus est & amores spondet perpetuos, at dictis nec animus, nec facta respondent, levissimè offensus gradum revocat, fortuna ridente invidet, tonante deserit, quam personatam amicitiam vir eata mentis vitiosa nuce non emerit. Potior quandoque strenuus luculenta Sobrietatem oratione commendat, ita ut, verba si audias, tertium Catonem esse judices, si spectes vitam moresque alterum Lucillum. (a) Quid felicius vulgi opinione purpuratis viris? at personatam eorum felicitatem rectè cum Seneca (b) dixeris, ob pericula cervicibus impendentia & curias laqueata circum tecta volantes. Beatus ille non minus est, quam sapiens, qui cuilibet vanitati personam detrahit, neque externo splendore, quo hominum vulgus capi fallique toto die cernimus, imponi sibi patitur.

(a) *Ma-*

(a) Magnificentissimè ille vixit, unde Xerxes togatus vulgò appellatus est, vid. Plut. in Luc. (b) Sen. ep. 89. Potentium personata felicitas.

XXX.

Magistra Virtutum Apis.

Cujusvis hominis officium,

Qui apem dixit Magistram Virtutum, quod res est, dixisse videtur: ut enim apes æstate impigrè laborant, ut ne desit, quod absument, hyeme, ita parandum juveni, quo senex utatur, fruatur. Apes alvearibus suis ignavos expellunt fucos, (a) ita inertem otiosamque familiam domi suæ nemo ferat aliatque. Regem religiosè colunt, studiosè sequuntur, masculè tuentur; idem est cuiusvis, qui alieno sub imperio est, officium. Apibus plurima pugna est cum vespis aliisque hostibus, labori suo insidiantibus, ita nec nobis bella desunt & certamina intus caro rebellis, foris cum Satana mundus pugnat, allicit, lacescit, blanditur, minatur omnibusque modis salutis nostræ adversatur. Sordes quotidie egerunt apes, munditiæ studiosæ. Naturæ quasi vim faciunt, qui suis instar amicæ luto vivunt, neque

ede-

oderunt sordida tecta, sordidum vestitum, animum, vitam. Apum Rex cæteris, & major, & formosior caret aculeo, ideoque non habet, quo quemquam lædat. Quemvis mortalium, imprimis eum, qui regnandi cepit provinciam, mansuetudo decet & clementia, utque hic auctoritate opibusque major est, ita id unicè agat, ut virtute etiam parentium superet ordinem. Sapit mea sententia, qui Ape Magistra discit prudentiam, industriam aliaque, quæ magni Doctores operosis scriptis tradidere.

(a) *Virgil. 1. Æn. ignavum fucos pecus à præsepibus arcent. Confer. lib. 4. Georg.*

XXXI.

Dat veniam Corvis, vexat Censura columbas.

Aranearum tela.

ARanearum cum tela leges satis aptè composuit Philosophus, nisi fallor, Anacharsis: nam uti muscæ aliaque insecta leviora, in hæc retia si incidant, pendent ac pereunt, majora verò animalia & graviora eadem rumpunt & evadunt illæsa, ita si homo delinquat ultimæ classis sortisque, ex lege

lege plectitur, culpa exaggeratur, damnatur ad vincula Reus, neque aram usquam aut asylum, quo se receiptet, reperit; contra verò potentes, fortunati, dites, nobiles impunè violant leges, parata his delinquentibus venia est, non est, qui dicam his scribat, qui reos accuset, damnet; in jus vocati, interdum, antequam causam dixere, absolvuntur, capitale licet crimen admiserint, mantello id facilè tegunt, joco sic egisse ajunt, aut casu incidisse in hanc calamitatem, aut alienis laceffitos injuriis transiisse lineas, si mille leges Actor alleget, si testes producat, si foeditatem facinoris numerosis probet argumentis, nihil obtinet, cui pater & res est, vi perumpit, ipse quæ ponit, retia, imbelles & innocentes Censura vexat columbas, corvis dat veniam, vel, ut habet Comicus, accipitri rete non tenditur aut milvio, qui male faciunt nobis, illis, qui nihil faciunt, tenditur, (a) quo de multis abhinc seculis questus est Satyricus, (b) multi, inqviens, committunt eadem diverso crimina fato, ille crucem precium sceleris tulit, hic diadema. Quamvis autem vulgò id fiat; jus tamen & æquum, ne fiat, postu-

C

tu-

stulant: cuique enim suum lex tribuat, neque ad personam, sed ad merita respiciat.

(a) *Ter. Act. 2. Sc. 2. Phorm.* (b) *Juv. Sat. 13.*

XXXII.

Homine ingrato quid pejus?

Porci.

Homines ingratos haut ineptè cum porcis opinor componi; ut enim hi quercu vel decussis, vel delapsis glandibus latis avidè vescuntur & probè saturati discedunt immemores ingratiqve, imò ad ipsam quandoque arborem, quæ tam grati sibi saporis tulit fructum, terga fricant sordida, solumqve sub ea vertunt, radices ipsas quasi effossuri; ita reperias mortalium nonnullos, qui divinis indies fruuntur beneficiis bonisque infinitis, quibus & animus eget, & corpus, nec tamen cœlum suspiciunt, ac Deo tam benigno Evergetæ, cui soli grata mortalitas accepta ferat oportet, quæ possidet, gratias agunt, agendo, quæ sanctissimo Numini placeant, imò sunt, qui flagitiosissima sua vita Creatorem lacesunt offendunt.

duntq; gravissimè, ita ut toto propemodum orbe Deus O. M. pro benefactis numero planè carentibus mali ubiqve messem metat uberrimam. Populo olim Judaico è servitutis educto domo, cœlo Deus imperabat, ut panibus plueret, rupi, ut aquam præberet sitientibus, vento, ut coturnicibus castra operiret ad explenda delicatæ gulæ desideria, at quid gratiæ retulit? murmure suo propemodum omnes & idololatria ad iram commovere Deum acerbissimam. Etiam Christianispe beati, Apostolico dicto, certiçve vitæ futuræ, quo non scelere irritant Redemptorem? Hi tales, ut porcis similes sunt, ita porcorum ritu ab infernali latio jugulati olim maçtatiçve ingrati quæmerentur, supplicia pendent atrocissima.

XXXIII.

Calamitas occasio Virtutis,

Organa Musica.

UTi fides, tibiæ aliaqve organa Musica sonum non edunt, nisi digitis eruditis aut ore artis non imperito tangantur, nisi vento impleantur, ita pleriqve omnes

omnes magis muti, quàm pisces, tacemus & obmutescimus, cum preces fundendæ laudesq̃ve Deo dicendæ sunt, cum tamen vel stentore clamosiores simus, irati & irritati, nescio quibus, nullius sæpe ponderis & momenti, injuriis; at cum Deus flagello crucis nos tangit, cum venti spirant calamitatum, animum moeror, dolor affligit corpus, tum demum è profundis clamamus (a) Deoque gratas edimus voces ingeminantes: misere nostri, Pater Optime, miserere, ferulæ, quæ malæ frugis servulos cædis, ultro terga subjicimus, crucem non unam, quod scimus & fatemur, pro meriti, da veniam, Pater, & nequam filios castigatos in gratiam recipe, aliàs meliores erimus, nisi pro peccato paululum supplicii satis fuerit, perimus funditus. Ea pœnitentis vox cœlo amica est, omnipotentis Dei victrix, gratiæ genitrix. Felicissimè sapit, qui officii sui re salva meminit plurimumque temporis in prece, in laude, in gratiarum actione cæterisq̃ve cultibus, quos Deo debent res creatæ, consumit.

(a) *Psal. 130.*

XXXIV.

Munera hominum corruptela.

Trutina.

IN eam vergere partem videmus trutinam, quæ plus habet ponderis, ita Judicis plerumque sententia in eam propendit partem, quæ plus affert muneris; quis resistat tot armatis, aiebat ille, cum complures nummos aureos, quibus insculpti erant scutati viri, Reus attulisset? Quid non expugnat pecunia? Quæ tam arctè obseratæ sunt fores, ut aureo malleolo non recludantur? Si Cliens ad Patronum gravem ære manum afferat, causa, inquit ille, bona est, quæ pessima, calamo manum illico admoveat, leges contorquet, quarit *νενοφύετα*, & quicquid habet ingenii aut scientiæ, in defensionem confert actionis, quæ palam sæpè & sine controversia iniqua est, in eo denique totus est, ut fabricis dolisque suis Judici glaucomam ob oculos objiciat; sed & in fide nonnulli titubant eamque interdum amplectuntur Religionem, quæ honores spondet ac dignitates, pileos Cardinalitios, pingves Abbantias, magnorum Prin-

cipum gratiam, certè plurimis mortalium tam charus est hic Adonis, ut eundem sectati, vel coelum cum Venere relinquant; qui verò exitus maneat hos tales cothurno versatiliores in fine, Francisci Spirensis, Latomi, aliorumque exempla docent, quorum sine atroci mentis horrore meminisse vix licet.

XXXV.

A teneris ritè rectèque formanda
Juventus.

Cera.

FAcilè cera imaginem, quam eicunqve impresseris, recipit, ex ea nullo negotio formant, qui artem norunt *πλαστικῶν*, quicquid lubet faciem formosam, monstruosam. Et pueritia mollissima quasi cera est, ut & Poëta cereum appellat Juvenem, (a) ea si nacta sit Magistrum Ducemque eruditè pium, qui fide optima animo molli ac flexibili præcepta Pietatis instillet, si cum bonis sit & ambulet plurimum, in Virtute doctrinaque brevi progressus facit, vel voto majores & Helena & Nireo formosior, (b) eorum judicio, qui ex mente homi-

hominem, non mento aut veste æstimant; contrà verò, si puer in disciplinam traditus fuerit Præceptoris, nec erudiri satis, nec boni, è ludo ejus plerumq̃ve prodit pro alato Mercurio Vulcanus claudicans, reditq̃ve ad Parentes Therfites Achillem expectantibus: cum enim ingenium hominis ad omnem neqvitiã natura proclive sit, & vitia nobiscum natis nascantur, à calle Virtutis facilè deflectit, degenerat seq̃ve ad deteriorem partem applicat, nisi monitis, nisi minis, quandoq̃ve & ferulis coërceatur, ab errore revocetur, honestatq̃ve à teneris assuefiat, qvare cui cera sua, puto cerea proles, curæ est, de informatore ei prospectum eat idoneo, cujus & vita bonis probetur, & doctrina sapientibus, caveatq̃ve is, qvem diligit, in rudes incidat manus aut scelestas.

(a) *Hor. in A. Poët. de Juvene.*

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.

(b) *De eo Homerus in Iliad. κάλλιστον
ἀνὴρ ποτὶ Ἴλιον ἦλθε.*

XXXVI.

Omnis vita miseria est.

C 4

Marc.

Mare.

Mare salsum est, ut novimus, cujus aquas qui gustat, nauseat, alit idem immania cetera aliaque monstra, nautis & nota, & infesta, in eo scopuli syrtesque plurimæ, naufragiis infames; sæpe etiam, si Palinurus coelo sereno confisus, obdormiscat, subita tempestas oritur, qua vectores cum sua merce merguntur, pereunt, prædaque sunt piscibus, unde & infidum Seneca dixit mare, cum in eo nunquam tam pura certa que sit tranquillitas, quæ omni navigantem metu ac periculo liberet, unde & Græcus tertium illud malum dixit, inqviens: *Ἰαλασσα καὶ πῦρ καὶ γυνή καὶ ἀτεία*. Quid vita hæc nostra? annon mare falsissimum, in quo tot nobis falsa & amara gustanda, quoad vivimus? nec monstris ea caret, quæ sunt vitia, corpori animæque perniciem sæpe afferentia, neque scopuli hîc desunt, exempla scilicet scelerum, ad quæ si propius accedas, periculum est, ne naviculam frangas cum gravi jactura & vitæ mortalis, quod quidem damnum ex parte foret tolerabile, & æternæ salutis, quæ amissa homini nihil, quod

quod speret, superest; graves in vita tempestates sunt quævis calamitates, casus aduersi & in primis hostium molimina, quæ nisi vis major, cœli scilicet potentia, reprimat, succumbendum tandem nobis est ac pereundum. Cum itaque vita nostra talis sit, quem ea nostrum magnopere delectet? quis vivendi finem cum murmure tædioque faciat?

XXXVII.

Modestia magnopere commendanda.

Flumen & Spica.

UTi flumina altissima minimo sono labuntur, multo cum strepitu alveo suo decurrunt rivi, quibus aqua minus copiosa est, uti spicæ granis graves, aristis inclinatis, in terram vergunt, inanes stant erectæ, ita vir solidioris doctrinæ sermone vultuque præ se fert Modestiam, rarissime parcissimeque suarum rerum meminit, neque suos ipse labores laudes, merita commemorat, imò si in os laudetur & invidendis ornetur encomiis, quantum potest, declinat invidiam, quæ nimis

laudis comes est individua, tam alienus ab omni ostentatione, ut de se suisque rebus dicere coactus, poene obmutescat, cum gravi spica in terram oculos dejiciat & imbecillitatis suæ sibi conscius, ipse maximè sibi displiceat, potius ille cum Socrate dicit se nihil scire, quàm cum Gorgia Leontino paratum se esse dicere, de quacunque re quisquam audire velit; contra homo leviter literis tinctus, qui vix tria Stesichori, quod ajunt, novit, utraque Scholæ vix sapit pulverem, caput effert, insolenti gradu incedit, non loquitur, sed tonat fulguratque, Cato tertius, sapientum octavus, (a) quo fastu, ut nihil cælo terræque est odiosius, ita Modestia nihil gratiosius.

(a) *Juv. Sat. 2. Tertius è cælo cecidit Cato. Horat. Sat. 3. l. 2. Stertinius Sapientum Octavus.*

XXXVIII.

Orandum, Laborandum.

Gubernator Navis.

NAVIS gubernator in clavo manum, in astris oculos habet, atque ita per
medi-

medios maris fluctus, in quibus nullum viæ vestigium apparet, transiens, portum, ad quem tendit, invenit. Cuilibet nostrum navicula, quam regat, demandata est, provinciam hic docendi capit, rem ille gerit privatam aut publicam, hic; ille, cujus sit cunqve loci & ordinis, molestiis undiqvaqve & periculis septus est; ne itaqve horrendis malorum fluctibus, tot inter oberrans scopulos, mergatur cum certa salutis jactura, exemplo navarchi in clavo manum habeat, sui quæ sunt muneris, ea, qua decet, fide & vigilantia exequendo: ad montes itidem cum Psalmographo oculos elevet, unde torrentis instar bonorum ingens copia defluit, paucis ut complectar, quæ efferre pluribus in proclivi foret, vitæ cursum feliciter absoluturus facturisque, quod Deo bonisque probetur omnibus, cum labore preces, cum pietate industriam conjungat, impigram aratro manum admoveat, atqve à Dei benedictione, fideli nunquam preci negata, spem omnem successuum suspendat, ita turbulentum illud, quod navigamus mortales, pelagus emensus, incolumi vita & nave

portum portamque cœli ingredietur.

XXXIX.

Calumnia

Innocenti, nec potenti, maximè
gravis.

Canis ignavus.

Ignavus canis latratu magis molestus,
quàm morſu noxius, fugaces lepuſculos
timidosque capreolos volante pede perfe-
qvitur, lupos, urſos, aliasque feras & au-
daces & feroces, quibus natura vires ad re-
ſiſtendum & nocendum dedit non invali-
das, fugit, non fugat, veritus, ne infelici ſi-
bi audacia perniciem attrahat, ita calum-
niatorum vulgus, nocere ſi nequeat ob im-
becillitatem, non audeat ob ignaviam, fa-
mam & exiſtimationem, quam vel vita viro
bono chariorem eſſe haut ignorat, allatrat,
quemque ferro non poteſt, lingua ſauciat,
neque tamen iram facile irritat potentio-
rum, quibus & animus eſt, & facultas illa-
tas vindicandi injurias, ſed tela potiſſimum
ſua mittit in tenuiorum genus hominum,
quod propter impotentiam ſuam ad fugam,
quàm

quàm pugnam paratius est, in edentulos ut
ita dicam, dentes acuit, inermes armis la-
cessit. Talis fuisse fertur Cassius iste Seve-
rus, quem proinde Horatius his verbis com-
pellat: (a) Quid immerentes hospites ve-
xas, canis, ignavus adversum lupos, quin
me remorsurum petis. Ab hoc sibi cane,
qui potest, caveat, qui nequit, latratus ejus
contemnat, rideat.

(a) *Horat. Od. 6. libr. Epod.*

XL.

JESU Gratia Fidelium Afylum
& Tutela.

Scutum Ajacis.

Cum Trojani Græciqve, atroci commis-
si pugna, pugnarent acerrimè, rebus
Græcorum inclinatis, victore Hectore, Teu-
cer sub Ajacis scuto maximo latitans, for-
tissimum quemque hostium, telo petitum,
interficiebat, quem cum Hector ingenti
prostravisset saxo, prolapsum Frater scuto
suo protexit, atqve ita imminens ab eo peri-
culum vitæ averit. (a) Jesu gratia ac tu-
tela scuti nobis instar est, sub ipsius signis

maſculè dimicantibus cum Carne, cum Sa-
tana ejuſque fideli, mundo, paraſtata, ſub
eo qui ſcuto deliteſcit, ab hoſtili tutus cu-
ſpide ſe ſuamq̄ve ſalutem, cui clam & pa-
lam inſidiantur tam numeroſæ hoſtium
phalanges, feliciter tuetur, ſi que fortè in
lucta tam dura tamq̄ve gravi, ita ut fit, ſuc-
cumbat, jacenti illicò præſto eſt JEſus, &
gratiæ ſuæ ſcuto impenetrabili hoſtilia ex-
cipit jacula: neque enim in Teucrum Ajax
tam fraterno, tam benigno faciliq̄ve fuit
animo, quàm in te meq̄ve & fideles omnes,
qui viva immotaq̄ve ipſi fide adhærent,
JEſus eſt, unus omnium Patronus & Ami-
cus conſtantiffimus, potentiffimus: ipſe
eſt, qui Abrahamo olim hodieq̄ve cuius
dicit fideli: Scutum tibi ſum & merces ma-
xima. (b)

(a) *Homer. l. 8. Il.* (b) *Gen. c. 15.
v. 1.*

XLI.

Ingenia excolenda & ritè rectè-
q̄ve informanda.

Ager.

Cul-

Culturam non indiligentem poscit ager
 Clætamqve cultus cultori suo segetem
 spondet & opimam messem, neglectus il-
 le carduis inhorrescit tribulisqve:

Fertilis assiduo si non renovetur aratro,

Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.

Arvis incultis urenda filix innascitur pro-
 qve molli in his viola & narcisso carduus &
 spinis surgit paliurus acutis. (a) ita Inge-
 nia, pingvis instar agelli, industriam ma-
 num vocemqve desiderant Informatoris,
 qui Pietatis, qui Artium & linguarum spar-
 gat semina, quæ benignius nacta solum,
 puto indolem idoneam & disciplinæ capa-
 cem, fructus, & uberes ferunt, & salutare,
 ab Ecclesia Reque publica metendos, quod
 si arva hæc Ingeniorum negligantur aut
 sumtus parcendi ergò ignavis & imperitis ea
 serendi docendiqve cura Magistris mande-
 tur, infelix surgit lolium, nempe inscitia,
 barbaries linguæ morumqve & quævis vi-
 tia, cum prima, ut ille ait, barba resecan-
 da: (b) homo enim, ut Plato dixit, rectam
 nactus institutionem divinissimum effici so-
 let animal; contra, ferocissimum, (c) uti
 etiam nullus ager tam sterilis est, quem cul-
 tura

tura non reddat meliorem, ita vix ullum ingenium coelo Musisq̄ve tam iratis aversisq̄ve natum videtur, quod bene doctum atq̄ve edoctum aliquid bonæ frugis non ferat, nemo adeò ferus est, ait alicubi Flaccus, (d) ut non mitescere possit, si modò culturæ patientem accommodet aurem. Quare, ut Colonus, colendo suo agro operæ plurimum impendit, ita Juventutem Præceptor ea, quæ decet, fide & industria instruat, & uterq̄ve, benedictione divina precibus impetrata, fructus expectent dulcissimos, optatissimos.

(a) *Virgil. Ecl. 5.* (b) *Juv. Sat. 8.* (c) *Did. Saavedra Symb. 2.* (b) *Horat. l. 1. epist.*

XLII.

Lux & Dux errantium.

Pharos. (a)

UTi Pharos (Insula hæc erat Alexandria vicina, in cujus turri accensæ faces noctu navigantium cursus dirigebant) à nautis conspecta, spem faciebat periclitantibus, fore, ut in portum brevi delati, ortæ
tem-

tempestatibus pericula effugerent, ita Amicus Amico, si in gravem ille calamitatem incidat, adjutor apparet in quovis loco paratus, & egentem solatio minimùm juvat, re si nequeat & consilio. Quid fidelis & eruditus Discipulo Magister est? Annon Pharos, tenebras inscitiae scientiae suae face ac luce discutens? callem ille si nesciat, ad celsa ducentem Sapientiae fastigia, hic ducem se praebet viaeque praemonstratorem. Ita si in mundi hujus labyrintho oberremus, haereseon & errorum undiquaque septi retibus ac laqueis, Scriptura S. quasi Pharos est & dux ad veritatem, ea sola filum illud Ariadnes, quod secutis nobis, errorum illos anfractus illaeso pectore tectoque latere evadere licet, imò Jesus ipse nostra est Pharos, ad quam omnis vitae cursus dirigendus est, doctrina omnis exigenda. Pontificia illa Pharos, Papa Rom. ignis instar est fatui fallitque.

(a) P. Bert. de Pharo l. 3. Geogr. in Descriptione Aegypti: Initio Insulam fuisse scribunt Homerus & Herodotus, sed hujus sententiae vanitatem ipse loci situs arguit in durissimis caulis à natura datis ad mare praeclu-

cludendum, juncta fuit ponte Alexandria, nunc planè continua est, ex ea nocturnis ignibus cursum navium dirigebant.

XLIII.

Quemlibet crux sua suaque cura
macerat, beata mors malo liberat.

Prometheus. (a)

Cum mulierem, ingens mortalibus malum, Prometheus formasset, ut habet fabula, cum Jovem fefellisset, eoque invito, ignem esset suffuratus, insolubilibus, jussu Jovis irati, vinculis Caucaſo affixus est, adjuncto vulture, qui jecur assidue aroderet, sua crescens per vulnera, quale quid de Tityo etiam fabulosa commenta est Antiquitas; quis nescit & hominem graviter peccasse & Deum, Patrem verè juvantem (Jupiter ita dictus, quasi juvans Pater) enormi culpa offendisse, hinc vinculis ille intolerandæ servitutis constrictus vulturi i. e. calamitati & sollicitudini lanianda lacerandaque sua offert viscera, atque ea licet miserè premat affligatque miseria, hominem tamen non interimit, dum mors ea, quæ dixi, laxat solvitque vincula & tanquam
alter

alter Hercules (Herculem ferunt fabulæ, necato vulture, liberasse Prometheum) animam curis malisque omnibus ereptam transferat ad sedes beatas, ubi quies perpetua, afflictio nulla, ægritudo, calamitas. Equidem, in his terris dum moramur, cuilibet nostrum suus est Caucasus, suus vultur, ab edaci cura quis liber? An ordo purpuratus, an plebs pannosa? Minimè gentium eandem omnes cum Prometheo fortem mortales experimur, nemo hic eximius est, mors sola portus.

(a) *Nat. Comes l. 4. Mythol. c. 6.*

XLIV.

Tirefias domi, foris Lynceus.

Lamiæ. (a)

Vetustas credidit Lamias esse mulieres veneficas, quas & Striges nonnulli appellant, quibus oculis sint exemptiles, ita ut domi cœcæ sint, foras autem prodeuntes, sumto oculo, acutè videant. His lamiis similes ego dixero plerosque mortaliū, quibus oculus foris tantūm est, domi minus, quàm talpæ, vident, aliena Suffeni (b) delicta facile agnoscunt, notant, vicinis

cinis deblaterant, sua vel nesciunt, vel velant & celant, in potores, ipse qui potor est, invehitur, Euclionem accusat damnatque auri arca conclusi custos tam sollicitus, quam ille ollæ terra defossæ fuisse perhibetur, luxum in victu vestituque redarguit, quem ardens vestit purpura, qui genio gulaque cupedias litat exquisitissimas, Hypocrisin libera castigat lingua Pharisæas, Pœnus perfidiã; ita scilicet pars hominum maxima oculo caret in suis cognoscendis nævis morumque maculis, oculatior, & aquila, & serpente Epidaurio (c) iniis, ad proximum quæ pertinent, vitiis notandis, culpandis. Saniores & domi & foris oculati, de suis ante, quam de alienis judicant moribus, neque manticæ, in tergo quæ hæret, obliti, summi Magistri monito, ante de festuca è Eratris oculo eximenda cogitant, quam ingentem è suo trabem exemerint.

(a) *De Gorgonibus sive Lamis vid. Nat. Com. l. 7. Mythol. c. 12.* (b) *Suffenus, Poeta ineptissimus, in aliorum vitia dicax, ad sua cæcus. Vid. in Adag. Erasmi ne mihi Suffenus essem.* (c) *Hor. l. 1. Stat. 3.*

XLV.

Sortis suæ neminem pœniteat.

Tessera.

Tesserarum ludus hæc vita est, ita & Sto-
bæus ait & Comicus noster Terentius.
(a) Si tesseris ludas, non semper, jactu quod
opus est, cadit, sed cadit per sæpe, quod ne
cadat, aleator metuit, interdum poscenti
Venerem damnosa cadit Canicula (b) ita &
voto nostro non semper eventus successus-
que respondet, cum in tranquillo esse, in
vado, in portu putamus omnia, subita ad-
versitatum tempestas surgit ingruitque, quæ
animum macerat, consilia turbat paritque
dolores, curas, querelas infinitas, cum vege-
tis corporis animique viribus stare nobis ta-
lo satis solido videmur, neque esse cense-
mus, quod minetur oriens, occidens; pho-
sphorus, hesperus; cum prodromo suo
morbo mors ad fores, ad portas excubat,
valetudinem vitamque bona vel ipsa am-
brosia dulciora, nobis ereptura, ut proinde
inter spem curamque, timores inter & iras
(c) brevissimæ vitæ dies exigamus. Quem-
admodum autem, qui ludit, boni, quod ce-
cidit,

cidit, consulit idque Arte, ut loquitur Afer Comicus, corrigit, ita cujusvis nostrum est, bona nostra æqui bonique facere & si quid adversi ingratiqve incidat, ferendo id superare. Jobi patientia cui ignota? David R. in exilio idem erat, qui in regno, pertinacissimè Deo suo in utraqve adhærens fortuna. Christianus fidei animiqve melioris nescit murmura, quibus offendi novit sanctissimum coeli Numen, nescit gemitus, indices plerumqve comitesqve impatientiæ, quibus incumbentia mala exaggerantur, non minuuntur, lætiuntur. O Deus, quid mihi expediat, quid non, unus esto arbiter, quicquid dederis, non dederis, boni id consulens, voluntati tuæ hilari semper vultu lætaqve manu subscribam: FIAT!

(a) Ter. Act. 4. Sc. 7. in Adelph. (b) In talorum lusu venerius jaëctus vel venus erat, qui vincebat. Hor. Od. 7. l. 2. quem Venus arbitrum dicet bibendi, Canis vel canicula, jaëctus, qui perdebat, unde Persf. Sat. 3. damnosa canicula. (c) Hor. L. 1. ep. 4.

XLVI.

Amicitia ollæ ferventis.

Hirundo.

IMaginem hirundo gerit Amici, qui ne-
que fido animo est, neque probatis mori-
bus, suspenso à tigno aut pariete nidulo, sub
tectis illa nostris commoratur,

--- --- *gelidus cum montibus humor*

*Liquitur & Zephyro putris se gleba resol-
vit; (a)*

Primo verò frigore ingruente, & pruinas
nivesque hyeme reducete, avolat, aquis
se mergit aut montium abdit cavernis, cum
sole reduci reversura, ita Amicus, mensæ
quem vocant socium, vultu, quàm ani-
mo melior, cum mollior fortunæ faven-
tis spirat aura prospereque succedunt omnia,
fidus quasi Achates, adhæret lateri, domi
nos frequenter invisit ollaque fervente, (b)
calente Vesta, officiosissime nos colit nu-
tusque nostros & imperia observat religio-
sissime; at cum surgens Orion tempestatem
minatur, & bonæ nobis felicitates terga ob-
vertunt, rebus perditis, nusquam est,
qui florentibus domi nostræ frequens
fuit, animum eò transfer, quò benignior in-
cli-

clinat fortuna, quæ cum sole sæpe venit veniente, fugit fugiente, proque rerum nostrarum statu felici, infelici, calidè amat, friget. Avis hodie rara Pylades, qui Orestem Amicum, delirantem etiam & exulem, sequi non dubitavit, neque mortem pro salute ejus vitaque oppetere recusans: nam, ut è Pacuvio refert in Lælio suo Cicero, cum Orestem interfectorus Rex barbarus ignoraret, uter eorum esset Orestes, Pylades Orestem se esse dixit, ut pro illo necaretur, contra Orestes Orestem se esse, ut erat, affirmare perseveravit, ne salutis suæ causa Amicus periclitaretur.

(a) *Virg. l. 1. Georg.* (b) *Græcus: ζῆλον χύτρεα, ζῆ Φιλία, fervet olla, vivit amicitia.*

Theognis in Dist.

πολλοί σοι πόσει καὶ βρώσις εἰσι
ἐταῖροι,

ἐν δὲ πωδῶν πρῆγμα λιπαυρότερον.

XLVII.

Parentum ἀσοργεία & in educanda
sua prole negligentia.

Cor.

CORVUS.

CORVUM tam *ἀσorgov* esse Avem perhibent, ut pullos suos ea non curet alaturque, quia cæteræ aves, diligentia, potius vix exclusos deserat, nido ejiciat, imò tota regione expellat cogaturque sibi locis remotioribus, unde vivant, parare, quibus escam Deus præparat vagantibus, clamantibus, ut ait Jobus. (A) Et Parentes reperias, qui prolis suæ alendæ educandæque curam vel nullam gerant, vel minimam. Apud gentiles quidem novum non erat aut insolens, ex se natos liberos, quos tolli res angusta domi vetabat, exponere eosque non aliter atque catulos abjicere, sicut & mulieres quandoque impudicæ non alimenta tantum negant his, quod pepererunt, sed tenellas etiam cervices interdum infringunt, infantulos aquis demergunt, interimunt, corvis multò deteriores. Nonnulli victum quidem non negant corpori, at animæ suæ non præbent alimenta, quæ sunt salutaria Pietatis Humanitatisque præcepta, dum sumtui curæque, accurata quam poscit educatio, parcentes, pueros puellasque cum

D

fari

fari vix possunt & sine duce ingredi, minimi lucelli ergò, domi retinent, antedidem calamum subula aut acicula mutare jubent, aut in agrum mittunt ad pascenda pecora, ipsis sæpe pecoribus non saniores cum Dei & rerum divinarum nullam sibi compararint notitiam, sine qua hominem pecus esse non ineptè affirmavit Hieronymus. Qui corvino non est animo Pater, de alenda mente non minus prolis suæ, quam corpore cogitat, ut neque victus huic benigna copia, neque necessariarum illi utilium, que rerum desit Scientia.

(a) Job. 6. 38. v. 3.

XLVIII.

Peccatorum deliciæ, mores.

SUS.

Cum sue si composuero hominem peccatorem, nihil à vero, ut opinor, aberravero. Amica luto sus est, cui nec potus ullus est jucundior eo, qui ex elusis mandatisque vasis & utensilibus in culinis colligitur, in luto mollissimè cubat, ad lutum redit lora, rosas, amaracum aliasque herbas odoratas perosa. Et peccator flagitiorum

riorum sordibus sordidissimis mirifice delectatus, suaveolentes Virtutum odores ipsa pejus morte odit, scelerum ille furfure & vanitatum siliquis pasci mavult, quam cœlestis gratiæ Ambrosia, volupe ipsi est eo se coeno volvere, cuius foetorem Deum Angelosque fugere in confesso est, & licet quandoque bona fide resipiscere videatur, & certis temporibus cum vicino, salutis suæ satagente, à verbi Ministro culpæ veniam petat imperretque morum vitæque emendationem sanctè pollicitus, ad notas tamen placitasque peccatorum sordes sus redit, à quibus nec minis, nec precibus avelli potest. Tam invisus sus Deo est, ut ejus carne vesci populo olim suo interdixerit severissimè; quid & homine sceleroso scelerum socio cœlo invisus? leviter sus tacta grunit & acutos acuit dentes, hostem petitura, ita & Impius Sacerdotis aut Amici voce castigatus objurgatusque, rusco asperior, murmurat, dentibus præ iracundia frendet & iniquissimo accipit animo offensas vel levissimas, præcepta saluberrima, monita amicissima, pulcre tandem saginata sus matatur, devoratur; & impii, terrenis cupediis

diis ac quisquiliis bene pasti, ab infernali laniatio jugulantur, laniantur.

XLIX.

Crumenimulgæ & alienæ rei extortores.

Hirudo.

Hirudo vel sangvisuga animalculum est, quod carni adhærens, cutem ante non mitrit, ut in Arte sua loquitur Horatius, (a) quàm plena cruoris est. Hirudines sunt Magistratum Ministri avarissimi, rapacissimi, qui plebeculam exactio- nibus acerbissimis onerantes, ad incitas eandem redigunt, facultates omnes ipsum- quæ sangvinem quasi exugunt & vitam quasi extorquenti (b) *χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι*, oves suas non tondent, sed planè deglubunt, id quod Pastoris non boni esse, Pastor ipse non bonus Tiberius, referente Svetonio, affirmavit, non absimiles hi tales sunt alieno ovium custodi, quem Maro scribit gregem in hora bis mulgentem, & succum pecori & lac agnis subducere, (c) publica est querela Parentium, quibus

bus sæpe nō relinquunt hi exactores sangvi-
 lugæ lectulum, cui incumbant, eqvum aut
 bovem aratorem, aratro qvem jungant a-
 gelli cultores, aut victum, tenellæ proli
 qvem præbeant; neqve Rabulam malè cum
 Hirudine composueris, qvi ut extorqueat
 bona, leges contorquet, (d) juris mel-
 la in aloën vertit, cauffas protrahit,
 litem ex lite fingit fritqve & saxum
 hoc suum volvit, dum nummus superest
 clientulo, qvem indat in loculos, eo tan-
 dem ad ultimam redacto inopiam, Rabula
 gravem aufert crumenam, Cliens edacera
 curam, damnum, ludibrium, qvo de aliàs.

(a) Horat. in A. Poët. v. ult.

Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

(b) Hes. in Op. (c) Virgil. Ecl. 3. (d)

*Getæ de Phormione: Bonorum extortor, le-
 gum contortor. Act. 2. Sc. 3. Phorm.*

L.

Florenti non deest cultor, jacenti
 contemtor.

Leo.

Ferarum ferocissimam Leonem esse pa-
 lam est, qvippe quæ obvia quæqve fugat,

D 3

ster-

sternit, aduersa frangit & dilaniat, rugitu suo cuius animantium generi terrorem incutiens, at eodem mortuo, ut proverbio dicitur, insultant & lepores timidissimi fugacissimiqve, ita Viros purpuratos & maximè eos, quos instabilis Principum favor ad illustrem euexit Dignitatem, omnes venerantur, ut Numina præsentia, ut Patriæ lumina clarissima, at cum iidem, vel letho dati cecidere, vel effusa, qua emertere, gratia ad priorem statum habitumqve rediere, negliguntur, contemnuntur, neque desunt, qui malè his loquuntur jacentibus, quos florentes honore maximo profecuti sunt & laude mactarunt planè eximia, ita de Hectore ab Achille occiso memorat Homerus, (a) quod Græci cadaver circumstantes mortuo illuserint, neque quisquam tam iners & ignavus fuerit, quin extincto vulnus aliquod inflixerit, cum tamen pugnanti Græcorum vix quisquam resisterit, aut arma contrà tulerit. Sic summi Pontifices, cum diem obiere supremum, vulgus hominum, interdum etiam eximii Poëtæ, impune famam maledictis arrodunt, sæpe non
men-

mendaces, cum Platina teste, nonnulli eorum à via regulaque Pietatis æquo longius declinarint, vivis obloqui aut detrahere capitale crimen est. Etiam Familiæ Virorum illustrium eadem sæpe sentiunt mala atque incommoda: nam, quercu cadente, quod dicitur, ligna quæ vivis colligit.

(a) *Hom. l. 22. Iliad.*

LI.

Concordia nihil dulcius, nihil
in vita salutarius.

Membra corporis.

Quemadmodum corporis membra humani pulcherrimè inter se consentiunt, inter ea lis nulla, discordia est aut invidia: neque enim oculus auri auditum invidet, auris oculo visum, pedes manusque laboris nihil fugiunt, ut alimenta suppetant, quæ stomachi latrantis placent murmura, acceptos stomachus cibos in chylum, hepar in chymum & sanguinem vertit per corpus universum distribuendum, ita homines, maximè Christiani, unius membra corporis, cujus caput Christus est, concordissimè vivant vitentque ri-

xas, dissidia, bella, coelo ac bonæ menti
 adversa, omnibus his mens una fit, volun-
 tas una, quibus unus Deus est, Pater unus,
 una Fides, Spes una vocationis, una Salus,
 neque inops invideat locupleti, si de majori
 ipse flumine hauriat, quo sitim levet, cum
 ipsi suo de fonticulo sumere tantundem li-
 ceat, (a) sciens inscientem consortio suo
 suoque non dedignetur consilio, insciens sci-
 entem haut invitus colat, majori minor ce-
 dat, minori major parcat, inferior superio-
 ri honorem, quem debet, præstet, superior
 inferiorem tueatur, non temnat, rideat, pre-
 mat, sed alter alteri serviat, comòdet & amo-
 ris illud & societatis vinculum, quo ut ho-
 mines arctè, arctissimè ut Christiani, colli-
 gati constrictique sumus, nullis calumniis,
 querelis, offensis levioribus patiatur divelli
 scindique. Ea concordia nihil esse Deo
 acceptius, nihil in vita dulcius aut saluta-
 rius, neganti aurem vellit Veritas inqviens:
 adversus solem ne loqvitor

(a) *Hor. Sat. 1. l. 1. Serm.*

LII.

Parasitica vita turpissima, odio-
fissima.

MUS.

Parasitaster parvulus mus est, urbanus
aut domesticus, qui non, ut alia bestio-
lae, ut apes, ut formicae suum sibi labore
victum parat, sed aliena quadra, non aliter
ac Parasitus, vivit, hinc Diogenes, cum
tenuissimo apparatu victitans in dolio suo,
quae vice domus erat huic Morosopho, mu-
rem vidisset e cavernula suo prorepentem &
micas colligentem, suas miratus est divitias,
quippe qui & parasitum alere posset, uti &
Parasitus in Captivis de se & suo commili-
tio, quasi mures, inquit, semper edimus ci-
bum alienum. Tam impudentes sunt mu-
sculi nostri, ut nec vocati nec rogati, delica-
tissimas epulas degustent, etiam vestes, cal-
ceos, chartas arrodant corrumpantque,
multo nobis & molestiores, & nocentiores
sunt parasiti, quibus nihil licet sit, nihil ta-
men desit, qui licet a symboli veniant, ta-
men a Thraconibus stultissimis, quos po-
tissimum consecretantur, propter os & offam

D 5

assen-

assentantes omnia, benignissimè accepti, priores bibunt, priores decumbunt, (a) coenaque apposita dubia, quod bellissimum est, capiunt carpuntque, atque ita, quod familiam, quod egentem Amicum capere oportebat, intercipiunt, cumque pulchre saburrati ac bene poti discedunt, cum mure clam se subducunt, parata alia coena prandiove redituri. Hac vita parasitica, ut flagitiosius nihil est, ita nihil molestius aut odiosius.

(a) *Ter. Act. 2. Sc. 2. Phorm.*

LIII.

Calumniatorum | hominumque mendacium cœcitas, fœditas.

Talpa.

PRatorum ille hortorumque hostis ac pestis, talpa cœcus est, licet organo visus non careat, illud tamen membranula quadam obductum opertumque est, cum sub terra sibi pabulum quærens & fodiens cubilia, oculis non egeat, solem hic maximè fugit, impatiens lucis, unde terra effossus vix unam atque alteram horam vitæ superest. Talpa est homo mendax & calumni-

lumniator, licet satis ille oculatus sit, si alieni
 nævi & mores sint cognoscendi judicantiq;
 cœcus tamen est, cùm non videat cogitetq;
 quid mali attrahat capiti suo mendaciis &
 calumniis, quibus odia sibi conflatur acerbis-
 sima famæqve, cujus & conscientiæ custo-
 dia cuivis est homini mandata sanctissimè,
 inurit maculam planè indelebilem, ipsius
 æmulos Satanæ, quippe qui & pater men-
 dacii est & calumniæ auctor primarius, à
 qua & nomen ille tulit Diaboli; uti etiam
 talpa in cavernulis suis latitans, solem fugit,
 ita & calumniator tenebras amat, mordet
 clanculum, apud ignaros rei sua fundit ve-
 nena, lucem exosus Veritatis, qua patefa-
 cta (premi enim illa, non opprimi potest,
 celari, non extirpari) expirant mendacia,
 calumniæ moriuntur, quique has & illa di-
 stulit in vulgus, civilem subit mortem,
 dum bonorum exclusus collegio omniqve
 honore & laude orbatus, ad viros obscu-
 ros relegatur, imò, si pergat innocentes
 lædere, nec maledictis calumniisqve finem
 modumqve ponat, ad æternas, Deo
 vindice, tenebras damna-

tur.

D 6

LIV.

LIV.

Malorum consuetudo damnosissima ideoque accurate vitanda.

Torpedo.

Torpedo piscis marinus est, torporem in ducens propinquitate sua tactuque, id quod haut ignorans, limo se abdit, & tum pisces supernatantes torpentesque corripit, devorat, imò, si fides habenda Plinio (a) hasta virgave tactus, tangentis lacertos vel validissimos torpescere facit pedesque ad cursum aliàs veloces, stare pigros & immobiles, atque ita torpedo nulla re magis, quam contactu nocet; Et improbi, quorum ubique pars major est, damni nihil afferunt, neque vitii quicquam tibi allinunt, si nihil cum iisdem habeas commercii, si scelerum gregem, rectà ad perniciem cum socio coetu tendentem, vitas, domi tuæ vivas, cum paucis, iisque bonis, plurimum sis & ambules. Siren est homo moribus profligatis, ut alibi diximus, ad quam, cantu allectus suavissimo, site applices, peristi; auris hic cera prudenten-

dentiaē obturanda, ad malum sanæ Ratio-
nis cum Ulyſſe alligandus eſt Appetitus
ille nequā, ſi grande illud, quod ſcele-
ſtos inter oberranti imminet, evitare velis
periculum; Polypus eſt, qui, quicquid
numerofis pedibus corripit, tenet. Ignis
fatuus, à via honeſtatis abducens in flu-
vios aut foveas perituros. Pix, quam ſi
tangas, maculare neceſſe eſt. Taurus,
qui fœnum in cornu habens, obvio fugam
lvadet imperatq̄ve. Quare, qui Virtu-
tis ſtadium ingreſſus es, Adoleſcens boni,
& ſanguinis, & mentis, cave tangas hanc
torpedinem, corpore animoq̄ve ne torpe-
as, cave, cum ejuſmodi conflictère inge-
niis, quibus unum opus eſt laſcivire nu-
gari, bacchari; cum enim boni junguntur
malis, plerumq̄ve boni non corrigunt ma-
los, ſed mali corrumpunt bonos, quia cor-
ruptela quid damnofius? quid & prohdol-
lor! vulgariuſ?

(a) *Plin. l. 32. Nat. Hiſtor. c. 1.*

LV.

Fatuus Faſtus Mortalium.

D 7

Pa-

Pavo.

Superbissima avis pavo est, quæ cum ro-
 stat, ut Plinius loquitur, & versicolores
 pennas caudæ suæ exponit, elato gressu in-
 cedit & suam ipsius pulchritudinem mira-
 ta, spectantium laude mirificè capitur, un-
 de & Naso (a) laudatas inquit, ostentat
 avis Junonia pennas; cum verò nigros ac
 sordidos intuetur pedes, rotam illicò cau-
 dæ cum insolentia ponit; ita hominum
 quàm plurimi, corporis animiqve dotes
 eximias admirati, fortunas etiam, pecuni-
 as, domos, prædia contemplati, præ fastu
 tantum non rumpuntur, si quis Virtutes eo-
 rum narret, res gestas prædicet, merita col-
 laudet, coelo adscribat nomina, præ tumo-
 re pedibus, an capite ingrediantur, nesci-
 unt, imò ipsæ plateæ vel latissimæ ingre-
 dientibus nimis angustæ sunt, siqve existi-
 mationis suæ suæqve laudis buccinator de-
 sit, si rariùs aut parciùs alieno laudentur
 ore, suas ipsorum laudes decantant Asty-
 damæ, (b) suas jactant opes Craisi, suam
 Babylona verbis extollunt Nebuchodono-
 fores, quod si avis ejusdem exemplo in im-
 puros

puros atqve informes imbecillitatis pedes
oculos hi superciliosi conjicerent: (quid
enim homo? humus, fumus, nihil & nihi-
lo minus, vas stercoreum, esca vermium,
scelerum sentina, laborum officina, mor-
borum palæstra, mortis, fortunæq; ludibri-
um, spolium) superbix caudam facile depo-
nerent, ac multò se modestiùs gererent.

(a) Ovid. l. 1. de Arte. (b) Astydamas
histrion fuit, suarum ipse laudum ebuccinator.
Vid. Adag. Erasmi.

LVI.

Otiosorum & Inertium curæ,
fortunæ.

FUCI.

Fuci sine aculeo sunt, ut notum est, id-
coqve ad mellificium inepti, eos, ut
ignavum pecus, elapsa æstate, arcent apes
à præsepibus, ne alieno labore quæsitis
fruantur, exclusis laboriosis apiculis,
quibus, per cælum operi vacare dum li-
cuit, nullus per otium dies exiit. Nulla
usquam fucorum penuria est, qui sua sen-
tentia, ut edant, ut bibant, nati, quod in-
tritum

tritum est ab aliis, impudenter exedunt, quibus de sumptibus paterna ipsis cura prospexit, his lautè splendideqve victitant otiosi, luxuriosi, à duriore labore ac sudore, quem primus mortalium Adamus suæ legavit posteritati, planè adhorrentes, atqve ita hi fuci, hæc Vacunæ mancipia bonis commodisqve, quæ debentur industriis, fruuntur, verè

--- κηφιώεσσι κοθήρεσι ἴκελοι ὄσμιν
οἱ τε μελισσάων κάμαρον τρέχουσιν
ἀεργοὶ

ἔσθοντες.

Ut ^{Hesiodo} Alcraeus ille Vates ait. (a) Inprimis magnorum quorundam Principum aulæ his scatent fucis, parasitis, adulatoribus, assentatoribus, histrionibus, morionibus aliisque id genus muscis, qui fuci opera sua minimum profunt Reipubl. quippe nullis vel pacis, vel belli artibus instructi, & tamen Magnatum gratia & Attalicis sæpe conditionibus gaudent, musicè ætatem agunt, quos equus portat, alii Rex, (b) quibus victus & amictus suppetit basilicus. O rem indignam & acerbam! Iniquissimum certe, uti dixit, nescio quis, Imperator, hominem

nem

nem publico inservire nescit, neque publicæ
rei studet ac salutis promovendæ.

(a) *Hes. l. 1. Op.* (b) *Hor. l. 1. ep. 17.*

LVII.

Helena foris, intus Hecuba
per sæpe Scelus.

Upupa.

Upupam quidem commendat crista du-
plex & pennarum color insignis, at a-
vis impura est, in locis desertis & sepulchris
habitat eque stercore humano nidum sibi
construit, unde de homine malè olente,
foetet, inqvimus, ut upupa. In hanc con-
versus esse dicitur Tereus, Tyrannus ille
Atheniensis, homo flagitiosissimus, qui
cum Philomelam, Prognem, Conjugis suæ
Sororem, vi stuprasset, re comperta zelo-
typa tam nefandum facinus vindicatura,
Ityn filium mactavit & epulandum Patri
apposuit, qui ea re cognita, ira incensus,
sorores ferro persecutus est, utque Progne
in Hirundinem, Philomela in lusciniam,
ipse in Upupam mutatus esse perhibetur:
Nasonis de Tereo versus notissimi sunt: (a)
Ver-

*Vertitur in volucrem, cui stant in verti-
ce crista,*

*Prominet immodicum pro longa cuspide
rostrum,*

Nomen Epops volucris.

Upupæ sunt omnes scelerati, qui hypocrise-
os phaleris pulchrè sciunt tegere animo-
rum ulcera, puto scelera, foris Catones &
Curii (b) intus & in cute nequam, purpu-
ram quandoque gestant auroque nitent, qui
Deum nesciunt, negant, aspernantur, aver-
santur, hi ganeas, popinas aliaque sordidissi-
ma loca pererrantes, conspectum Bono-
rum & consortium fugitant, ac proinde
peccatorum delectati inquinatiq; sordibus,
Deum Angelosque custodes teterrimo fœ-
tore profligant, olim pice & sulphure con-
structam subituri domum, nempe tartarum,
in quo mephitis ipsos unà cum cæte-
ris damnatis vicissim affliget, jugiter into-
lerabilis.

(a) Ovid. l. 6. Metam. f. 7. Conf. Virgil.
Ecl. 6. (b) Incomitis Curius Capillis Hor. od.
12. l. 1. Carm. magnum exemplum fuit Fruga-
litas unde Juv. Sat. 2.

Qui Curios simulant & Bacchanalia vivunt.

LVIII.

LVIII.

Non omnia possumus omnes.

Vineta, Roseta.

Quanquam Roseta non ferunt botros,
nec Vineta rosas, vix tamen quisquam,
tam ridiculè amens est, qui vitem contem-
nat, cum rosas non ferat, aut rubum, uvis
cum careat; ita & iniquum, imò stolidum
est, si quis hominem, in quavis Arte & sci-
entia non excellentem, despiciat, ludat, ri-
deat, neque enim quodvis ingenium ad
quævis studia, libero digna, satis aptum est,
uti, non omnis fert omnia tellus: hic sege-
tes, illic veniunt felicius uvæ, Arborei foetus
alibi, ut loquitur Maro, (a) neque unī
dat cuncta Deus, cui debemur nos nostraq;
ἔτι ἄλλοισι δ' ἄλλοι μεγάλοι, inquit Pinda-
rus, non omnia possumus omnes, cithara
sua nobilem fecit Ariona, Apellem peni-
cillus, Philosophia Platonem nobilitavit,
Histrionia Roscium, tam felicitis nemo est
indolis animiqve, ut in omnibus artibus &
partibus Sapientiæ excellat cæterisque pa-
ria faciat, nedum palmā præripiat: nam Plu-
tarchi verbo, ἐν ἅπασιν τὸ τέλειον αἰδύνατον,
si

si verum hic sani coloris pangat, bene est, laurea donetur Apollinari, si alius ad politi laudem Oratoris proximè accedat, & ipse, quod meretur, encomio mactetur, neuter alterius studia temnat, aut crescenti indies laudi invideat detrahatqve, qui in ea, quam profitetur, arte præstat, præstare quem debet, Virum, tolerandus est, nec laude sua defraudandus.

(a) *Virgil. l. 1. Georg.*

LIX.

Juveni studiosè parandum, quo
Senex otiosè fruatur.

Cicada & Formica.

UTI Cicadæ æstivas horas strepitu can-
ruqve suo satis odioso otiosè conte-
runt, ideoqve Soracte cum nive stat candi-
dum, socordiæ suæ poenam pendunt, con-
tabescunt, pereunt; cum contrà laborio-
sæ Formicæ æstate, quicquid possint, in
horrea sua cellulasqve congerant colligant-
qve, ut frigora Cauris spirantibus sibi sit,
unde vivant, quam infecti hujus industriam
ipsa Scriptura commendat, pigris ire jussis
ad hanc Magistram & discere, (a) ita
non

non pauci, ætate florente, vivunt musicè, pelliculam curant, svavia, in præsentia quæ sunt, uti cupiunt, ita capiunt carpuntque, hinc viri senesque egent acriter, cumque aliis, qui, exemplo Formicæ, venturæ memores hyemis, puto senectutis, maturè canæ ætatis viatica, Artem & scientiam sibi compararunt, abunde suppeditat, quo negato humana dolet natura, esuriales ferias ventri indicant oportet, cujus ut ingrata compescant murmura, posita fronte, ostiatim quandoque stipem emendicant famelici, nisi fortè ad Gnathonis disciplinam transeuntes, arte parasitica, qua turpius nihil est foediusque; ossa & juscula sibi parent, aut ultima coacti desperatione, Marti Mortique sese immolent.

(a) *Prov. 6, v. 6, conf. Horat. Sat. 1. l. 1.*

LX.

Deo servire Libertas est, parere
summa Felicitas.

Miles.

Trones milites apud Romanos jurabant secuturos se esse Ducem, quocumque duceret, neque à militia recessuros, nisi
com-

completis stipendiis, cujus etiam Sacramen-
 ti rectè memor bellator, | nullo labore aut
 vitæ periculo, nulla vi aut fraude à Duce
 suo avelli se patiebatur, per saxa, per ignes
 transiturus, eo jubente, cui Sacramento
 se addixerat, unde & Scipio, magnæ Dux
 Virtutis famæqve, monstrata aliquando
 turri mediis in undis constituta, certissi-
 mum se esse affirmavit, haut fore mili-
 tem in toto suo exercitu, qui jussus de ea-
 dem sese, non sit daturus præcipitem.
 Etiam cujusvis nostrum est, qui in SS.
 Baptismo aqua sacra à culparum mundati
 sordibus, sub Crucis signo, JESU Duce,
 stipendia nos esse facturos sanctè juravi-
 mus, per aquas, per flammam sequi, quem
 dixi, Ducem ducentemqve comitari sine
 murmure qvestuqve : ut enim malus est
 miles, qui Imperatorem gemens sequitur,
 dicente Seneca, (a) ita & Christianus
 non bonus, qui molli jugo oneriqve levi,
 quod cuius Fideliū benigna Servatoris
 manus imponit, cervicem subducit, & in
 ordine Crucigerorum professus nomen,
 Crucis calicem, quem ipse Dux animo
 tam alacri ac lubenti bibit, labela tenel-
 la ad-

la admoveere recusat, cum tamen haut ignoret gloriæ coronam, nulli, vel aureæ, vel laureæ triumphantium coronæ comparandam, pugnanti vincenti quæ Veritatem spondisse, ad cœli rosas per spinas itur calamitatum, aloen Crucis gustet oportet, olim nectare coelestis gaudii potiturus, quare Cleanthinis versibus, quos jam laudatus laudat Seneca, Ducem Deum ita compellet Christianus:

Duc me Parens celsiq; Dominator poli.

Quocunq; placuit, nulla parendi mora est,

Assum impiger.

(a) Sen. ep. 107.

LXI.

Per aquæ Lavacrum ad cœli transitus gaudia, ad astra per aspera.

Mare rubrum.

Cum domo servitutis egressa gens Israelitica, terram peteret promissam, lacte & melle affluentem, ducente Deo per Moysen, incolumis transibat Mare rubrum, in quo hostis insequens Pharaon, cum copiis suis, opertus interibat fluctibus, hinc per cretum satis aspera longa-
que

q̄ve transiens via, famem leniente Manna, cœlesti cibo; sitim aqua è rupe profluente, post multa tandem variaq̄ve pericula, labores, adversitates, Duce JOSUA, Canaan attingit sedesq̄ve occupat toties optatas. Recens nati sub servitute peccati regnoq̄ve Satanæ, tartarei Pharaonis, miserrimè vapulamur, hinc per mare rubrum, aquam scilicet Baptismi, JESU quasi sanguine tinctam & coloratam, nobis transeuntibus, Diabolus cum peccato & omni suo satellitio hoc lavacro mergitur, at deserta hujus mundi ingressis dura nobis & aspera toleranda sunt plurima; quibus haut esset ferendis quisquam nostrum, nisi alimenta verbi salutaris vires fractas reficerent, sitimq̄ve leverent aquæ solatii, vitæ, salutis, è vulneribus JESU, qui Petra est spiritualis, promanantes, ita superatis tandem omnibus difficultatibus, trajecto Jordane, nempe lethi flumine, antiquam Patriam, Duce JESU, cujus Josua ille & nomen & typum gessit, alacres lætiq̄ve ingredimur, bonis gaudiisq̄ve potiti, quæ nec fando, nec cogitando quisquam est mortalium assecutus, assecutus.

LXII.

Fungi & inutilia terræ pondera
nusquam non plurima.

Musca.

INsectum ut vilissimum, ita impudentissi-
mum Musca non vocata advolat, cibos
appositos lingit lambitque, sæpiùs etiam
abacta redit, cuivis molesta, tam Regi,
quam colono, sicuti perhibent Adriano IV.
Pontifici, aquam haurienti ad sitim levan-
dam, in fauces muscam involasse & sanctis-
simum Patrem suffocasse, in primis Mosco-
via locis quibusdam à muscis maximè infe-
stari dicitur, quarum certis temporibus tan-
ta ubique multitudo est, ut ori sit aliquod
admovendum reticulum, ne una cum aëre
muscarum attrahantur examina, neque sine
operculo interdium noctuq; somnos ducere
licet quietos, quietem muscis morsiunculis
& punctiunculis suis interrumpentibus.
Quæ Principis Aula, quæ Curia, quæ Do-
mus, imò quod Muscolum muscis caret?
Annon parasiti muscæ sunt, qui vocati, in-
vocati, ad divitum advolant lances mensas-
que nitentes & bellissimum quodque car-
punt,

E

punt,

punt, unde & Alexander R. aliquando in convivio assentatoribus undiqvaque & parasitis septus, hæc & illa audacissimè à se petentibus, à muscis se morderi pungiq; que rebatur, (a) ita qui rem gerunt publicam eorumque, quibus præsumt, facultates acerbis exactionibus atterunt & ipsum quasi sanguinem exugunt, etiam rabulæ, qui leges contorquendo extorquent bona clientulis, Muscarum sunt similes, quas si Jupiter aliquis *ὑπόμυς* & Aulis & Civitatibus expelleret, publico haut malè nostra sententia, consultum iretur. Tandem & Amici salutigeruli, à labore ad otium, ad lulum, ad pocula vocantes atque invitantes, Muscæ sunt, quibus rectè rebus suis consulturus veteri formula dicat: Abi Musca.

(a) *Frantz. Hist. Animal. part. 5. c. 3.*

LXIII.

Vanitatum splendor inanis,
inutilis.

Poma Sodomitica.

Perenne hodie monumentum est iræ ac vindictæ divinæ in Palæstina Lacus Asphaltites, aliàs & mare mortuum dictus, pesti-

pestilentes ille auras semper exhalat, piscem non ferens aut quicquam, cui vita est. Hæc regio illa est, in qua Principes olim fuere Urbes Sodoma, Gomorrha, Adama, Zebolim, quas ob nefanda dictu, cogitatuque flagitia sulphureo Deus imbri delevit evertitque, ut sacra refert pagina, (a) funditus, juxta hunc lacum poma dicuntur nasci, ut speciosa, ita visu jucunda, ea verò si carpas scindasque, sordidis oppleta sunt cineribus. Vanitatum iste splendor, qui multitudinis oculos allicit afficitque plurimum, his pomis simillimus est: si quem enim vulgus videat molliori amictum tunica & purpurato stipatum satellitio incedere, cuius argento domus rideat, etiam qua calcatur pretiosa, divitiis per omnes angulos dissipatis, (b) ad cuius utrum servuli pleno accurrant agmine imperata citis quadrigis citius facturi, hanc inquam, potentum pompam & splendorem vulgus si spectet, animus stupet doletque pares his felicitates sibi negari, cum felicius nihil esse existimet Viro, cui honorum opumque abunde est & fruendæ voluptatis voto par copia; at hæc vana sunt, funus, fumus, sub colore

lore tam specioso occultantur cineres, imò
quid ipse homo, quid Tullus & Ancus?

Pulvis & Umbrasumus. (c)

(a) *Gen. 19. (b) Sen. de tranquill. animi
c. 1. & Notas in eundem Consult. Dn. P. Mülleri.
ri. (c) Hor. od. 7. l. 4. Carm.*

LXIV.

Amara hujus vitæ JESU solatia
temperant.

Aqvæ Maranæ.

Cum aquas in Mara repertas ob amari-
tudinem bibere non posset Ægypto e-
ductus populus, non sine murmure offensa-
que supremi Numinis Mosen poscebat,
quod siti esset restringendæ, at anxius Mo-
ses, cum monstratæ à Deo arboris ramuscu-
lum in eandem demisisset aquam, in meleū
quasi felleus est potus versus, satisque sic
factum sitientium desiderio. (a) Animæ
fidei, dum per tesqva mundi hujus errat &
vagatur, amara multa degustanda sunt, ipsa
voluptas, dulcissimum his nectar, quibus
in solo vivendi causa palato est, addictæ
Deo animæ nautea est & nauseam parit,
qvip-

quippe cui præ cœlesti epulo, in quo gratia, vita, salus ipsi apponuntur, terrena sordent omnia, crucis aloen taceo & calamitatum flumina gustatu tam acerba, ut leviter his delibatis fortes etiam Christiani frontem in rugas contrahant, latus inflectant & lacrymas, mali aut imminentis aut incumbentis acerbitate extortas, ubertim fundant, at, Vitæ arbore, JESU, amaris his aquis quasi demersa, eadem dulcescunt; acerbum certè est carceris subire squalorem, ferro lacerari, aduri flammis perque varios necari cruciatus, at Martyres, vera Jesum & constanti fide amplexi scyphum crucis, amaro felle & mordaci spumantem aceto, hilari manu acceperere, læto ore ebibere: & quid? Cum Deus ipse tam dira sit passus, pati leviora quis recuset? Cum pelagus quasi dolorum hauserit Jesus, guttulam crucis è calice haurire quis renuat? An, Domino spinis coronato, rosis sibi violisque famulus neci velit coronam? Maximè cum Servator ipse solidis solatiis nos erigat, certos momentaneas angustias æterna gaudia felicitatesque votis, dictis, cogitatis plures esse majoresque consecuturas.

(a) Ex. 15. v. 23. & seq.

LXV.

Nusquam propemodum tuta Fi-
des, Frons sæpe fallit.
Baculus Mosis.

Amicissimus Deo Propheta Moses,
cum baculum, quem tenebat manu,
divino jussu projecisset, in serpentem iste
vertebatur, ita ut Moses à lethali ejus ictu
metuens, fugeret. (a) Quid nobis Ami-
cus? Scipio est, consilio ejus, ope opera-
que rectè utimur, dumque noster est, in
manu nostra & potestate, suo non deest of-
ficio, vocatus adest, consulit, adjuvat, at
levissimè offensus, è manu quasi nostra exit
& in angvem versus, plurimùm antehac
cui profuit, ei nocet plurimùm, famæ de-
trahit, commodis obstat, ad invidos at-
que iniquos, qui Viro bono, præcipuè non
uni de multis, deesse minimè consueverunt,
transiens, Pyladèa fides rarissima est hoc
ævo nostro, quo fraus & simulatio ubi-
que regnant, quo ovina pelle lupum cela-
re non est, ut est, nequitia, sed Prudentia
politica, quare nimium cave credas colori,
(b) pu-

pisces, (a) nempe acerrimus ille hostis humani generis, si quem persentiscat, ut spiritus sagacissimus est, ad Veneris exercendos lusus, ad Bacchi vertenda pocula ad Pluti contradenda munera propensioem, illico Illi Sirena aliquam offert, quæ oculo illiciti & illecebroso cantu alliciat magisque accendat libidinis flammam, Isti ad symposia, in quibus gulæ litatur strenuè, aditum patefacit, Huic per fraudes & injurias rei parandæ mille vias demonstrat, quos certè laqueos retiaque evadere difficilimum est homini, qui Appetitu magis, quàm Ratione regitur, nec spiritus freno refrenat lascivæ carnis cupiditates. Hoc voluptatis laqueo captus Simson lacertos amisit invictos, Bellazer cum Sceptro vitam, Epulo dives sinum Abrahamæ cœlique solatia, voluptas, inquam, Hannibalem ante, quàm Scipio, vicit, Sardanapalum ante, quàm Arbaces, debellevit, Cyclopi ante oculos, quàm Ulysses, effodit. Salutis itaque suæ fatagens, quàm possit, caveat accuratissimè, ut ne lotum voluptatis degustet, aut Circe huic poculo, homines in sues vertenti, labra admoveat.

(a) Cic.

(a) Cic. in Cat. Maj. divinus Plato escam
malorum appellat voluptatem, quod ea videl.
homines capiuntur, ut pisces.

LXVII.

Spartam, quam nactus es, orna,
Mutatio periculosa.

Saxum sæpius volutum.

Quemadmodum saxum sæpius voluta-
tum, musco, quod dicitur, non ob-
ducitur, (a) nec planta sæpe transposita co-
alescit agiturque radices, ita nec rem facile fa-
cit & dutescit, qui sedem frequenter vitæque
genus mutat, jam Orator, jam Arator, mo-
dò civis, modò colonus, rectius rebus suis
consulturus, constanter eam, quam didi-
cit, Artem exerceat, neque vel attalicis
conditionibus ab eo, quod elegit, vitæ ge-
nere avelli se patiatur, certus industriæ suæ
Pietatiqve divinam hautquaquam de fore
benedictionem, ita & discipulus erro, qui
scholam quotannis & Magistros bis terque
mutat, infeliciter plerumque discit proficit-
que: fieri enim facile potest & sæpe fit, ut
commodi aut lucelli potiundi spes facta fal-

lat fumumq̄ve fugiens in flammam incidat
& evitata Charybdi in Scyllam prolabatur.
Quisquis igitur honestis licitisq̄ve modis
honestam aliquam Spartam, quæ sibi suæ-
q̄ve alendæ sit famiæ, nactus est, eam
ut ornet, det operam, neq̄ve temerè ob
incommoda & labores, quibus nulla non
vitæ genera sunt obnoxia, stationem, à
Deo assignatam, deserat, Platonis monito,
τὸ πρῶτον εὐπροσιῶν, ita dives ac beatus ævum
omne exigit: nam, ut in Paradoxis loqui-
tur Tullius: contentum esse rebus suis ma-
ximæ sunt certissimæq̄ve divitiæ.

(a) Vid. Ad: Erasmi. ita Fabius: *Planta,
quæ sæpius transfertur, non coalescit.*

LXVIII.

Cura metusq; vitæ comites, certa
mors, incerta dies.

Saxum Tantali.

Lingvæ incontinentis, insolentiæ alio-
rumvé scelerum, hanc poenam Poëtæ
Tantulum pendere fabulantur, nempe in-
gens ajunt saxum impendere ejus cervici-
bus, ruinam minitans, ac proinde terrore
metuq̄ve perpetuo torq̄veri & contabescere,
non

non aliter ac Domoclem, Siculi Tyranni parasitum, cui Dionysius Rex, infelicem suam felicitatem ostensurus, regio folio confidenti honores regios præstari regiasque apponi epulas jussit; ille verò, ut anticipem gladium, eqvina suspensum seta, vertici impendere vidit, discedendi impetrata venia, illicò surrexit & abiit, honore tanto & apparatu nihil amplius delectatus. Primus imusque mortalium inopem in terris vitam dum colit, Tantalus est, cujus itidem capiti tot malorum morborumque genera, ipsa denique mors, tanquam saxum jamjam ruiturum impendet, (a) à qua miseria metuque neminem vindicat purpura atque opum affluentia: quanquam enim Sinenses ingeniosissimi autumant remedium aliquod dari, quo parari queat immortalitas, tamen qui in eo reperiendo toti sunt, neque ulli parcunt sumtui, cum *αἰσθησάσθαι* illud pharmacum jam reperisse sibi videntur, moriuntur, & illud, quo de dixi, saxum cervicibus illabatur. Quia itaque ipsa morte mortis peior est metus, hora illa fatali adventante, ictum lethalem intrepidè excipiamus, neque manum opponamus,

mus, membra contrahamus, in ejulatum
eamus, cum cura, metus, & quicquid mali
in omni nobis vita, vel imminet, vel in-
cumbit, in morte cesset, quid? vita hæc
nostra mors est, mors vita Fideli.

(a) Cic. l. i. de fin. Bon. & Malorum: Mors,
quasi saxum Tantalos, semper impendet.

LXIX.

Scholæ, Ecclesiæ Rei quæ publicæ
Seminaria.

HORTUS.

IN hortis, sepe sepe viva munitis, herba-
rum florumque, quos colores, odores,
Virtutes suæ commendant, varietas copia-
que mirè afficit reficitque cum Olitore pos-
sessorem, qui facile quemvis laborem sola-
tur spe fructuum, quos colligendos soli
spondet ubertas, dum stato tempore floscu-
los legit, decutit pyra, poma carpit aliosque
arborum foetus colligit conditque cellis,
ignava sibi hyeme maximo futuros usui,
unde & agricolæ, uti ex Catone Ciceronis
discimus, Hortum Succidiam appellant al-
teram, (a) neque ulla voluptas ea, quæ ex
hortorum cultura capitur, videtur pura ma-
gis

gis minusque damnosa, quapropter & illustres viros, Cyrum minorem, Persarum Regem, & Diocletianum Imperatorem hortis colendis operam dedisse testantur Historiæ. Et Ecclesia Hortus est, & Schola, cujus Horti sepes Angelorum custodia, Olitor, qui docet, Arborea frugifera plantaque salubres & sativæ, bonæ frugis Auditores, qui roseo Virtutis doctrinæque colore nitentes, spirant odorem Deo bonisque omnibus gratissimum, quid, quæso, Sacrorum Antistiti, quid Scholæ Magistro visu cognituque jucundius, quam si è suo docentis sinu quam plurimos prodiisse intelligat, qui Pietate, qui Scientia excellentes, lætis successibus gaudeant, laude floreat, Deo suo serviant, patriæ studeant commodis promovendis, Familiæ augeant ornamenta; uti etiam Hortis sua sunt Zizania, industria manu evellenda, in arboribus enascuntur sæpe stolones inutiles, acuta falce refecandi, ita vix Auditorum usquam & discipulorum reperias coetum tam purum & ab omni remotum vitio, cui nihil sceleris, nihil fecis de profana admistum sit plebe, quæ Deum & divina aspernata rectè stygias ad umbras

tendit, hæc filix urenda, hæc steriles avenæ
tribuliqve extirpandi sunt, hæc inquam, de-
decora Ecclesiarum, hæc scholarum pestes,
hæc Bonorum vomicæ, cœli odia, terræ pro-
pudia, ad sanio rem mentem reduci si ne-
queant, à reliquo grege fidei vitæqve sanæ,
segreganda sunt & evellenda radicitus, Poë-
tæ monito

--- --- *immedicabile vulnus*

Ense recidendum est, ne pars sincera tra-
batur.

(a) *Cato apud Cic. in Cat. maj. Hortum*
ipsi agricolæ succidiam alteram appellant.

LXX.

Cœlum & cœlestia anhelanti ter-
rena sordent.

Uxor Lothi.

Imbres cum caderent nubibus sulphurei,
Ideo Sodomitica sic vindicante flagitia,
Lothus, cum Uxore geminaqve Filia ab
Angelis educus, mediis è flammis ere-
ptus, montes petere jussus est, nec respi-
cere ad ea, quæ reliquisset, cujus interdi-
cti negligens Uxor cum retrospeisset, in
sta-

statuam salis conversa obrigit. (a) Sodoma hic mundus est, stabulum nequitiae, scelerum fentina, non periturus cum pereuntibus hac Sodoma exeat oportet & Ecclesiae montes, coeli montes, unde pleno quasi alveo sperata defluunt auxilia, solatia, petat; quod si quis in Fidelium gregem numerumque transcriptus: atque ita egressus è finibus ejus, quam dixi, Sodomæ, animum oculosque ad terrena convertat, de his cogitet, his se oblectet, hæc anhelet inhietque cum Pauli comite Dema, desertor ac transfuga κοσμοφιλῶς perit. (b) Qui singulari Dei gratia Ægypto eductus, coelesti gustato Manna, ollas carniurn, quibus seculi hujus porci pascuntur & saginantur, non desiderat, cum Psalte sursum ille elevet lumina, cum Apostolo, ad futuræ vitæ delicias adspirant, eorum quæ reliquit, obliviscatur, Alexander R. in Asiam transiturus & Persarum occupaturus regnum, Amicos amplissimis afficiebat muneribus, quid sibi reservaret, à Parmenione interrogatus, spes aiebat, meas mihi servo. (c) Et Christianus terrena, quæ possidet, omnia relinquat dividatque; si sibi suisque suppetant necessaria,

ria,

ria, egentium gregi, satis beatus melioris vitæ spe haut fallaci, spe, inquam, beatus potiundi Regni, orbis universi imperio non mutandi, ad Sodomæ reculas, ultima brevi flamma perituras, non respiciat.

(a) *Vid. Pl. Rever. D. M. Tierosii Disp. de Statua Salis.* (b) *1. Tim. 4. 10.*

(c) *Plutarch. in Alexandro.*

LXXI.

Veritati Doctrinæque cœlesti non miscenda inventa, commenta aliena.

Ignis alienus.

CUm Nadab & Abiu, Sacerdotis Aaronis filii, sacra pro more facturi, ignem alienum in tabernaculum Domini intulissent, cum ignis in ara sacer, instituto divino, Jugi vigilique custodia servandus esset, usurpandus, flamma ab ultore Deo egressa, eos consumpsit, ita ut in loco sacro mortui conciderint, temeritatisque suæ poenam non levem pependerit, (a) Dei verbum flamma purissima est, ea, discussio frigore & torpore mortalitatis ad præstanda, Creatori quæ debentur, servitia odiosè tardæ, socor-
dis,

dis, negligentis, coeli & caelestium rerum salutaria accendit desideria studiaque Deo proximoque serviendi, una haec flamma in Ecclesia ardeat, una eam illustret, in ea sanctè jugiterque conservetur, Hæretici, errorum patroni & novarum Religionum repertores; alienos inges, commenta scilicet sua, decreta Patrum, majorum instituta in Dei Templum inferentes, salutari Doctrinae admiscentes nobisque sub anathematis fulmine & jactura salutis aeternae obtrudentes, gravissimè peccant vindicesque flammam minimè, nisi resipuerint, effugient. Cui non notum Supremi illud Numinis oraculum: frustra colunt mandatis hominum? (b) Quem latent toties in Codice sacro repetita verba: Nihil his, quæ impero tibi, addes, adimes nihil? Certè qui ἐθελοθρησκείας & πατροπαράδοξα præceptis divinis antetulere, Pharisei, non minus invisus, quam infensus fuere Deo servatori & cum universa propemodum gente sua sunt ultrici ita Numinis extirpati.

(a) Levit. 10, 1, 2. (b) Matth. 15, 9,

LXXII.

Per Spineta ad roseta.

Viator.

Vla vita est, hominiquē Viatori certa nulla est in terrenis his tuguriolis mansio: uti igitur Viator baculo suo nitens, & onustus vidulo incedit, etiam pane & aqua, si aliud non suppetat viaticum, contentus, itineris molestias alacri subit suscipitque, & animo, & pede, hac spe fretus reduci sibi in patria brevi melius fore, quam etiam incolumis cum attingit, à suis plurimò cum plausu exceptus, dulcissimam carpit quietem & incommodorum, peregrè quæ tulit, planè oblitus, commodis gaudiisque fruitur optatissimis; & nos, in hac ad patriam via Viatores, feramus æstum, frigora; famem, sitim, & quicquid adversi, prosperi divina nobis voluntate contingit, boni consulamus, Fideique scipioni nitentes, per tenebrosam mortis vallem transeamus intrepidi, eandem ivere viam, duram satis asperamque Martyres, ituri sunt eandem omnes, eodem qui tendent, posteri, ideo-

ideoque ad cœlestem patriam pleno gradu
 contendentes, haut inviti Viatores & exu-
 les toleremus, quæ toleranda cuivis, quem
 diligit Deus, imponit, & cogitemus con-
 fragosum hoc iter per ejusmodi molesti-
 arum spinas esse emetiendum, via longa
 non erit, cum vita brevis sit, ad Beato-
 rum nobis Concilium transeuntibus bre-
 vi optimè erit, quibus hîc pessimè fuit;
 quemadmodum enim recens nati venimus,
 ubi luctus & ultrices posuere sedilia curæ,
 pallentesque habitant morbi tristisque sene-
 ctus, ita corporis anima vinculis soluta ve-
 niet, ubi

*Jugis erit plausus, luctu curaque sepultis,
 Vespera nec festos finiet ulla dies.*

LXXIII.

Cœlo cœnum, æternis caduca
 proponit delirantium multitudo.

Lentis pulmentum.

NEc rarum est, nec insolens Fratres,
 Niisdem natos Parentibus, dissimili
 esse ingenio, studio, vita, tales fuere ge-
 melli Esau & Jacob, Isaaci Patriarchæ Filii,
 agris ille colendis & venationi, hic pecori
 pa-

pascendo vacabat & rei domesticæ, moribus hic erat probatissimis, ille minus probatis; cum itaque accidisset, ut Esau Venator è sylva domum reveretur, vario labore fessus & famelicus (*τερπνὸν γὰρ ἐκ κυναγίας τρεῖς πύλα πλήρης*, ut ait Euripides) Jacobum fratrem rogavit, ut pulmentū, quod coxerat, epulandum sibi præberet, ille verò negavit se præbiturum, nisi primogenituræ jus sibi venderet, tum ille, quid, ait, mihi cras aut perendie morituro primogenitura proderit, ita lentis edulio jus illud nobile, homo levissimus, vendit & vendidisse se jure jurando confirmat; (a) ita & nostri temporis Esauitæ, quos terrenorum crepundiorum sacra tenet famēs, jus coelestis adeundæ hæreditatis auro, purpura aut jusculo, quod voluptas apponit, vendunt, cum impio illo, nescio quo, Deo facilè cœlum (*den Himmel*) relinquentes, sibi si sit, quo latranti ventri gulaq; amenti satisfaciant (*hie meel*) ô damnosissimam insaniam! delirare Poëta censet & Curatoris egere eos, qui navem mercibus implent ad summum latus & tabula distinguuntur unda, (b) qui vitam, nullo repara-

parabilem pretio, lucelli ergò periculo exponunt, quis bonæ quicquam sanæque mentis his superesse existimet, qui animæ suæ salutem, quæ nihil est charius, non in periculum adducunt, sed planè perdunt, cupiditatis explendæ aut voluptatis ergò potiundæ brevissimæ.

(a) *Gen. 25, 29.* (b) *Juv. Sat. 14.*

LXXIV.

Frontinulla Fides, diffidit
qui sapit.

Joab & Judas.

JOab Abnerum, Heroa ipso se præstantiorem amplectitur, & ferro confodit latus, mali nihil metuentis, (a) Judas Magistrum & vitæ, & doctrinæ inculpatae osculatur, & prodit traditque hosti vincendum, occidendum. Tam infida hodie pectora passim reperias, quibus fronte blanda dulciq; voce fallere animum credulum simplicemque nulla est Religio, amice hi compellant, arrident ultrò, laudant studia nostra, prædicant Virtutes, officia spondent, imò servitia, ad ultimum usq; vitæ halitum
para-

paratissima, omniaque faciunt, facere quæ
solent arctissima vinculo Amicitiae conjun-
cti, at re & opera fallunt, crescenti laudi in-
vident, famæ detrahunt, fortunis vitæque
insidiantur, palàm socii, foris Amici, clam
& intus hostes acerrimi, si quæras, ubi fides?
ubi pudor? cessit illa, hic fugit, dicta mellea
fellea refutant facta, quodque pactum, non
pactum est, ut ille ait, non pactum pactum
est, ut ipsis lubet. Ab hoc sacrilego homi-
num genere sibi, malo qui cavet, cavebit &
observabit illud Epicharmi: μέμνησο ἀπί-
στῶν, animos sub vulpe latentes notabit, ar-
cebit, sub quovis lapide scorpionum, quod ve-
teri verbo dicitur, dormire existimans, ipse
etiam Candorem diliget Fidemque, & cum
Sene Comico, meum, inquit, non est si-
mulare, Deo bonisque omnibus invisæ est
Viri duplicis frons & oratio, nec poenam
effugit perfidia acerbissimam, sicuti & Joa-
bus, cruenta peremptus morte infamiam gra-
vem sepulchro intulit, & Judam suo sibi
collo laqueum nectentem, infelicissimus
orco exitus immolavit.

(a) *Sam. l. 2. c. 3. 27.*

LXXV.

LXXV.

Censura Corvis dat veniam,
vexat Columbas.

Aves nocentes, innocentes.

NON accipitri, non milvio aliisque,
quæ de genere rapacium sunt, avibus
rete tenditur, sed turdis, sed merulis cæteris
que innocentiſſimis aviculis, cum in
his fructus ſit, in iſtis ludatur opera, (a)
ita hominibus rixoſis ac ſcleroſis, præ-
fertim honoribus opibusque ſi floreat, ne-
mo ferè eſt, qui malè loqvatur aut dicam
ſcribat, cedendum iisdem potius ducunt,
qui ſapiunt, quàm reſiſtendum, quis impu-
nè crabrones irriter? licet enim palàm illi
injuriæ divina humanaque jura violent atque
evertant, Patronos tamen nullo negotio in-
veniunt, imò neque his egent, cum ſenten-
tiam plerumque ad ipſorum voluntatem nu-
tumque ferat, qui judicat, veritus, ne effuſa
ipſorum gratia aliquid commodis ſuis detra-
hatur, damnis adjiciatur; contra imbellis
& impotens turba propter impotentiam
ſuam, nullis non ludibriis injuriisque eſt
ob-

obnoxia, impunè hæc luditur, hæc læditur, imò & pugnis concisa, dicente Satyrico, adorat, & pulsata rogat, ut liceat sibi paucis cum dentibus reverti domum, (b) ad jus & Judicem plerumq̃ve pauperi via clausa est, cui nihil est, qvòd tot armatis, puto aureis argenteisq̃ve nummis, qvibus pugnare solenne est potenti, diti, nobili, opponat, ita nemo facilè fœminam lingvæ maledicentissimæ, aut Virum, qvem nullius pudet flagitii scelerisq̃ve, dicto factove laceffit, cum vincenti sciat æqvè ac victo sibi infamiæ esse ac fraudi contentionem: cui res est cum stercore, etiam victor manus maculat, Innocentia cum Indigentia omnibus omnium est telis proposita.

(a) *Terent. Act. 2. Sc. 2. Phorm.* (b) *Juv. Sat. 3.*

LXXVI.

Nulla Docentis culpa est, si è qvovis ligno non fiat Mercurius.

Medicus.

Medicorum nemo, nec ipse Machaon, Homericæ laude tam celebris, cui vis malo & morbo medicinam fecerit, interdum

dum docta, Poëtæ ut habent verba, plus valet arte malum, licet præsentissima ille antidota adhibeat & catapotia mille, emplastra, fomenta, trochiscos aliaque talia, quæ pyxide sua minima, maxima condit promittitque Pharmacopœus, tanta tamen vis quandoque morbi malique est, ut remedio consilioque medico dejectæ fractæque vires reparari nequeant, neque ultimus lethi ictus à capite decumbentis possit averti, certè qui nodosam sustulerit podagram, (a) succus nondum repertus est, hydrops & febris quartana Medicorum dicuntur scandala, utque, mors si veniat, in medio Tibure Sardinia est, ita si vitæ instet terminus, à Deo fixus, neque aurum potabile, neque panacea Paracelsi, aut nobilis ille philosophorum lapis, à multis cum damno quæsitus maximo, fugientem vitam retinuerit: quemadmodum itaque in Medico, vel probatissimo, non est, semper ut æger relevetur, ita neque in Magistri cura manuque positum, ut è quovis rudi ligno fiat Mercurius, & juventutis, tam ineptæ interdum, insulsæ ac pertinacis vitia, quæ sunt Inscitia & Malitia, emendentur, tollantur; si stupor men-

F tis,

tis, si pertinax literarum, odium, si fuga laboris, quo solo Artium arces expugnantur, viam puero emergendi præcludant, nihil aut minimum certè Informator docendo, castigando proficiet, laterem lavabit & oleo operaqve perditis, spes & vota sua irrita, inventos abiisse dolebit; quanquam autem vulgo docentis culpa, Satyrici verbis, arguitur cum læva in parte mamillæ nil salit Arcadico Juveni, (b) Intelligentium tamen iudicio fidei famæqve bonæ Magister, uti culpa vacat, ita crimine absolvitur, è thymbra nemo confecerit lanceam, ut apud Athenæum legimus, neqve è Socrate bonum militem (ἀμεμπτον στρατιώτην) aut è trunco ficulno Deum.

(a) Ovidius:

Solvere nodosam nescit medicina podagram.

(b) Juv. Sat. 7.

LXXVII.

Intelligentium est iudicare.

Sutor.

DE crepida Sutor, non de crure vel sura iudicet, ne Artis suæ ac professionis lineas transeat; unde Apelles, cum sutor

tor

tor quidam pictam à se imaginem, in pergula propositam atque expositam oculis ac judiciis vulgi transeuntis, transiens in crepida aliquid carpsisset, æquo id tulit animo & mutavit, quod carpserat; eodem verò postero die circa pedem cavillante, pictor, qui post tabulam latitans, prætereuntium notabat judicia, indignatus prospexit, inqviens: Ne sutor ultra crepidam, (a) ita nemo non eruditus, de Viro erudito, de viis modisque parandæ Eruditionis, de Juventutis informandæ methodo aliisque rebus, vulgi quæ superant captum, ferat judicium. Rectissimè Stratonicus, Citharædus nobilis, cum Ptolemæus Rex pertinaciùs de arte canendi cum ipso disceptaret & ineptiùs judicaret, alia, agebat, res, ô Rex, Sceptrum, alia Plectrum, quasi diceret, neque Musici est regendi profiteri Artem, nec Regis canendi, Sceptro tua assuevit manus, Plectro mea fidibusque, quare neuter nostrum in alienam messem, quod dicitur, falcem immitat & parùm apto judicio sanioribus se ridendum propinet. Ejusmodi Momos & Zoilos passim hodie reperias, qui li-

cèt ipsi sani nihil dicant aut faciant, quidvis tamen, etiam quod non capiunt, carpunt, veterani quandoque in Scholis Magistri operam studiumque, fama etiam publica probatum, reprehendunt, qui nunquam ipsi manum huic aratro admoverunt & prima puerulum elementa docuerunt, interdum ne Æsopum quidem triverunt, verè Sutores ultra crepidam judicantes, Reges à Pleetro ad Sceptrum ablegandi.

(a) Pl. l. 35. Nat. Hist. c. 10.

LXXVIII.

Consuetudinis vis maxima.

Testa.

Quemadmodum Testa recens odorem diu servat, quo semel est imbuta, nec lana medicata fuco, amissos refert colores, uti alicubi loquitur Horatius, (a) ita quibus pueri assuevere moribus studiisque, iisdem Viri plerumque pertinacissime in & adhærent; qui à prima pueritia captandis lucris, vertendis poculis, lusibus inconcessis ac venereis dant operam, ab his vitiis, profecta ætate, ægerrime avelluntur,
ab-

abstrahuntur, unde plurimum in eo momenti est positum, ut Honestatis Artiumque optimarum præceptis tenerrimæ mentes imbuantur: à teneris enim assvescere multum est; gravissimè certè Parentes delinqvunt suoque pessimè sangvini consulant, qui simiarum more prolem, in arctissimis hærentem amplexibus, quasi necant indulgentia & corrumpunt exemplo, dum ipsi jurant, obsonant, potant, turpiter sordideque vivunt, neque ea, quæ decet, acerbitate delicta tenerrimæ ætatis castigant, emendant, inprimis Matres filiis plerumque adjutrices in peccato (b) mollius, quos amant tenerrimè, tractando, suoque eos more vivere non prohibendo, fenestram ipsis ad omnem neqvitiã, cujus pernicies comes est certissima, patefaciunt. Ejusmodi Albanos intra hæc fortasse mœnia invenias, qui pueros longis rationibus assensum docent in partes centum diducere, quæ arugo & cura peculi semel animos cum imbuunt, Flacci mihi nunc verbis uti lubet, frustra ab his speramus carmina fingi posse linenda cedro & lævi servanda cupresso, (c) frustra ab iisdem altioris Indolis specimina expectamus.

F 3

(a) Ho-

(a) *Horat. epist. 2. l. 1. & Od. 5. l. 3. Carm.* (b) *Ter. Act. 5. Sc. 2. Heaut.* (c) *Horat. in A. Poët.*

Romani pueri longis rationibus assem, &c.

LXXIX.

Exercitatio alit Ingenia, cor-
rumpit Ignavia.

Ferrum.

Ferrum otiosum est rubigo, splendescit, quod usu teritur plurimo, ita Ingenium hominis, etiam infelicissime nati, si assiduo vacet labori, si Virtuti iisque Artibus, quibus solis emergere supraque vulgus ascendere licet, eximia edit specimina, capit incrementa & animi vigor, qui ad omne Honestatis studium impellit, indies auctus, intaminatis tandem maectat honoribus, at præstantissima Ingenia, otio quæ torpent & inertia diffluunt, lusu tempora fallunt, nec seriæ quicquam rei agunt, rarissime aut potius nunquam metam contingunt, ingenitus iste vigor langvescit, alacritas extingvitur aciesque mentis obtusa non minus est, quam gladii, quem vagina nu-
dare

dare vix licet ob rubiginem ; omni igitur ætati, maximè Juventuti, commendanda est exercitatio, hæc alit, hæc auget ingenia aditumq̄ve ad summa omnia, ad quæ otiosi nequicquam adspirant, patefacit. Quæ Hercules via cœlum petiit, puto paravit gloriam jugiter victuram, Nempe in labore, periculo, negotio assiduus, quicquid, ait apud Senecam, jussum est, leve est, neque ulla nobis segnis illuxit dies ; (a) contra Hannibalem cum invictis suis copiis fregere, perdidere Campanæ deliciae, luxus, otium. Qui legis hæc, quod in rem sit tuam, facturus, ad exercitationem tam animi, quam corporis te para, Spartæ imitatus incolas, quibus cœna frugalis & parca erat, labor plurimus, quies rara & brevis, sterilefcit ager, aut spinis horret tribulisq̄ve, nisi colatur, conseratur, ita & ingenia humana, culturam desiderant.

(a) Seneca in Herc. Oet.

LXXX.

Amicus certus in re incerta
cernitur.

F 4

Au-

Aurum.

Igne probatur aurum, Amici fides adver-
sitatibus, vel ignarissimis opinor haut
ignotos esse versus Poëtæ:

*Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus au-
rum,*

Tempore sic duro est inspicienda fides.

Quem latet illud Isocratis? τὸ χευστόν ἐν
τῷ πυρὶ δοκιμάζομεν, τὰς δὲ Φίλας ἐν
ταῖς ἀτυχίαις διαγιώσκομεν. (1) Fictio
Amicum vultu fallere phaleratisqve dictis
credulæ plebi os sublinere, infidis his, ut in-
vidis temporibus, multorum mos solennis
est, quapropter in numerum cave censum-
qve Amicorum quemquam referas, cuius
in adversis Constantiam fidemqve non per-
spexeris, frons sæpe fallit, fallit oratio, præ-
sens non fallit auxilium, si quis in eadem
calamitatum flammis, in quas, quem dili-
git, prolapsus videt, desiliat, neqve centum
servata clavibus recuset promere, si cele-
rem poscat opem Amici indigentia; si hu-
meros ultro submittat oneri, cui ferendo
non esse cernit, cui vult ex animo, classis
hic primæ primæqve ceræ Amicus dici me-
re-

retur, hic revera, dicto Theognidis, *θεὸς ἔστι
 τῆς καὶ ἀρετῆς ἀντιθέου ἀξίος*. Etiam
 Deus fideles suos, quibus amicissimè ami-
 cus est, crucis adurit flamma, purissimum
 illud Fidei & Charitatis aurum, cui nullas
 alienæ fiduciæ scorias, nullas terreni amo-
 ris sordes vult admistas, exploraturus, cer-
 tè in deliciis suorum quemquam non habet,
 experitur, indurat, sibi præparat, ita Sa-
 drach, Mefach, Abednego invicti illæsiqve
 è camino ignis prodiõre, & Constantiæ suæ
 magnifica tulere præmia (b) neqve nobis
 undiquaqve septis calamitatum flammis
 Deus deerit, ultimis nos malis eripiet erep-
 tosqve ponet in honoratis. Ignis aurum
 probat, ait Seneca, miseria fortes Viros, (c)
 ego dixerim re, non nomine Christianos.

(a) *Isocr. ad Demonicum.* (b) *Da. 3.*
vers. 25. & 30. (c) *Sen. in Libello cur bonis Vi-*
ris mala accidant, cum sit Providentia c. 5.

LXXXI.

Imperantis officium.

Pastor.

POpulorum Reges Pastores pluribus lo-
 cis appellat Homerus, & quidem aptis-
 simè;

simè; revera Rex Pastor, qui, si bonus est, tuendo suo gregi populoque suo sub pedo, puto Sceptro, carpenti pabula, unicè intentus salutem ejus, quâ via cunqve licet, procurat, quibusvis incommodis damnisque consilio si nequeat, manu & armis averfis, unde & cum Alphonso Rege candelæ instar ardentis aliis inserviando consumitur. Si ursus ovile circumgemat, lupus nocturnus obambulet, oviculam rapturus, Custos ipse vigil, vigili Canum, puta Oratorum, Consultorum, Militum custodia, clausa sua septa fortissimè tuetur, hostem abigit, & suo sæpe cum periculo pericula ab eorundem depellit cervicibus, quippe quorum ipsi salus salute sua multo est charior. Idem pecora sua tondet, non deglubit, uti dixit Tiberius. (a) Tyrannicum est acerbissimis exactiõibus suæ subditos potestati ad incitas redigere, omnibusque fortunis exutos, domo agrisque avitis pellere, trahentes comites infelicitatis suæ Uxorem fordidosque natos. (b) Infelix ô semper ovis pecus, ait Maro, cui contigit custos alienus in hora oves bis mulgens, (c) ita ut & succus pecori & lac agnis sub-

subducatur, verè infelices dixeris, in manus Regum Principumque qui incidere, qui gregem minus, quàm ea, quæ sunt gregis, diligunt, & ipsi jugulant eos laniantque qui in tutelam se & clientelam ipsorum commendârunt. Sic Nero Tyrannus primi Ordinis imperare Præfecto suo consueverat: quæ mihi re opus sit, nosti, id agamus, ne quis quicquam habeat, (a) at qualis ille Artifex perierit, cui ignotum? Quibus itaque Neronis placent instituta ac facinora, Deo vindice, paria expectent metuantque fata & supplicia.

(a) *Sveton. in Tib.* (b) *Hor. od. 18. l. 2. Carm.* (c) *Virgil. Ecl. 3.* (d) *Svet. in Nerone.*

LXXXII.

Garrulitas, Avaritia, Prodigalitas castiganda.

Danaides.

Cum Danai Regis Filiæ quinquaginta, jussu paterno, Sponso suos quinquaginta, Ægypti Fratris Filios, præter unum omnes interemissent, omnes una

excepta Hyperinestra, quæ splendide
 mendax Lynceo, Sponso suo, pepercerat,
 ad hanc poenam apud inferos damnatae
 sunt, ut aquam vasis pertusis haurirent, ma-
 gno quidem, at inutili labore, neque un-
 quam finiendo. (a) Cum ejusmodi doliis
 rectè composueris tria hominum genera il-
 laudata, hominem scilicet Garrulum, Ava-
 rum, Prodigum. Ille αὐθιγῶν ἄρ-
 cani nihil reticet, palam est continuò, quic-
 quid ipsius fidei tacendum creditur auribus-
 quæ minus tutis deponitur, utpote qui cum
 Parmenione Comico plenus rimarum est,
 hac atque illac perfluit, (b) Iste bonorum
 helluo, nulla facultatum copia expleri po-
 test, πλεσιοπένης, nil satis est, (c) inquit,
 si vel mille aret jugera, bis mille aranti invi-
 det, utque mendici, sic avari semper pera-
 inanis est. Hic nepos & decoctor, patria
 cum bona abligurivit, in ventrem congerit,
 quod terra, quod educat aër, (d) nihil parcit,
 pertusa quasi crumena est, in quam si num-
 mulum indat, illicò disparet & transvolat
 ad cupedinarios, fartores, piscatores, au-
 cupes. Hi Fabii, Crassi, Apicii, ut pestes
 societatis humanae, Bonorum consortio
 rectè

rectè excluduntur, nisi resipiscant, dignissimi, qui cum Danaï puellis sub tartara relegati, pertusis aquam doliis hauriant, ipsi cum in vita pertusa fuerint dolia.

(a) Vid. Horat. od. 11. l. 3. cum Notis Lambini. (b) Ter. Act. 1. Sc. 2. Eun. (c) Hor. Sat. 1. l. 1. (d) Ovid. l. 8. Met. fab. 11. de famelico Erisichtone:

---- quod pontus, quod terra, quod educat aër

poscit & apposis queritur jejunia mensis.

LXXIII.

Hæredipetæ mores studiaqve
illaudata.

Vultur.

Vultur cadaveribus vivit, nihil attingit, cui vita est, utqve odoratu maximè valet, ita ad cadavera, longissimè quandoque remota, præsertim humana, advolat, eaqve propter militares comitari exercitus dicitur, persentiscens inito sibi prælio non de fore, quo pascatur. Quid hæredipeta? Vultur est, cadaver expectat, (a) ad Senes, maximè orbos & locupletes, se applicat,

cat, his ad nutum paret & quadrigis citis citius executus imperia, tardioris culpam obsequii deprecatur, quævis eorum sputa, ut ita dicam, cum venia, lingit, quidvis oneris imponitur, fert placidè, sperans à brevi morituris partem sibi bonorum legatum iri. Horum Vulturum mores pulchrè describit Periplectomenes Plautinus, (b) me, inquam, curant, visunt, quid agam, ecquid velim, priusquam lucret, assunt, rogitant, noctu an somnum ceperim, mittunt munera, ad se, ad coenam, ad prandium vocant, ego mecum mussito, bona mea inhiant, si malè tussiat, si cum tertio pede incedat Senex, si color, si capitis nives indicio sint ad plures brevi abiturum esse, cujus divitiis in altum extructis potiri gestiunt, cor salit & supercilium, licet lectulo assideant mœsti, parent fomenta, fictis dolorem lacrymis testentur vitamque ægro voveant Nestoris, hic tamen fletus sub persona risus est, longè aliud cogitant, sperant, quippe quibus optata toties mors Amici allatura sit, quo Vultures auri famem leniant, & quidem in alienis hoc, quicquid est, vitii, certè non leve, ferent-

ferendum est, at reperias liberos, (dictu nefas) qui Vulturum more Parentum expectant voveantque mortem, qui doleant ipsis tam diu superstibus potiundi sibi patrimonii spem præcidi, nonnulli etiam propinquis aconita miscent, ut captivum eo citius aurum liberent hæredes. O scelera! O nefanda facinora!

(a) *Sen. ep. 95.* (b) *Plaut. Aët. 3. Sc. 1.*

Gloriosi. P. Syrus:

Hæredis fletus sub persona risus est.

LXXXIV.

In uno DEO spes & fiducia collocanda. Vana valeant!

Ancora.

ANcoram molis ingentis esse dentem ferreum, quo naves sistuntur, notum est, nempe orta tempestate minante ultima, per maria volitantes navitæ ancoram de prora jaciunt, (a) ut navis quiescat, neque in Syrtes prolabatur, aut ad scopulos sub undis quandoque latentes, ventorum fluctuumque vi allidatur. Multiplex mortalibus Ancora est, ad quam furentibus

tibus malorum austris in hoc impetuoso mundi, quod navigant, æquore, confugiunt, alius in Pluto, quem arca sua conclusum adorat quasi pro Numine, fiduciam collocat & opum præsidio fretus, quibusvis facile malis se emerfurum sperat, cum aurum per medios eat satellites, saxa perumpat, (b) & divina humanaque pulcris parent divitiis. Alius potentis gratia Patroni confisus, audacter adit pericula, quietos onerat injuriis, lites ferit, meus, inquit, jam regnat Apollo, ejus ope atque autoritate facillimè legum laqueos, multam, poenam evadam, ecquis apud Principem megratiosum vel verbulo ausit lacescere? Alius Ingenio ad fraudes acuto, nullo se negotio sperat quamvis rem impeditam expediturum. At nobis una est Ara in prosperis, in adversis, Deus in his Adjutor omnium potens, in illis tutela præsens adversus iniquos invidosque, quibus solenne est florentium fortunis invidere, detrahere, & his, quibus nolunt, incommodi afferre damni que plurimum. Ita si peccati onerosa sarcina nos premat urgeatque, si in ultimæ desperationis æstu gelidus toto decurrat sudor

dor corpore, JESUS in ultimis ancora sacra est & turris illa munitissima, quò qui confugit, ab omni vi tutissimus, hostium ridet molimina, duabus nobis ancoris niti minimè placet, neque Virginem Matrem jungimus JESU filio & cum Jesuita GAZARD (c) Lae Matris cum Sangvine Nati miscemus, læva prensantes Matris ubera, dextra Nati vulnera, unus ego, inquit Servator, iræ divinæ calco torcular, in quod de populis nemo mecum descendit, una hac Anchora niti decet æternæ periculum mortis evasuros.

(a) Virgil. l. 6. Æn. vers. ult. Ancora de prora jacitur, stant litore puppes. (b) Hor. od. 16. l. 3. Carm. & l. 2. Sat. 3. (c) Angelinus Gazardus in Hilar. p. m. 143.

LXXXV.

Academica vita periculis obnoxia.

Ægæum mare.

Ægæum mare (Sinum illum sic vocant maris mediterranei, Græciam inter & Asiam min. medium) ob scopulos, quos fre-

frequentēs habet, & Insulas, tam Cycladas, quam Sporadas, maximo cum periculo navigant, per omne mare qui currunt audaces & unā cum spe lucelli vitam à funibus suspendunt Mercatores. Academicam hodie vitam qui vivunt, Ægæum navigare & scopulos inter infames multorum naufragiis, errare videntur; quot enim addicta nequitiae, lasciviae, luxuriae, ignaviae Ingenia pedem in his Pietatis & Artium magnarum Officinis ponunt, tam pulchrè ad omnem perniciem instructa, ut vel in comtos Curios & Catones intonsos, à via Virtutis averfos, ad morum levitatem abducant, & aliquid his vitii allinant affricentque. Hic basilico amictu mentitur Principem & Astyanax agit Hectora in Scena Academica. Ille, aliis ad Magistrum euntibus, rectà it ad cantharum, fortè & Cantharam: nam Veneri cum Baccho haud malè convenit, eò unā secum, ita ut sit, perducunt Pamphilum Phœdrus & Clinia, qui tum iisdem, quibus ipsi lusibus vacando, turpissimè degenerat peritque funditus; quotus enim quisque cum Ingeniis ejusmodi, ætate tam ludibrica, conflict-

fluctatus, paterno obsequens imperio, honestatis, quem puer ingressus est, callem ire pergit? Sed ponam esse magnum aliquod exemplum Continentiæ, qui habere possit vitæ suæ modum, non egentem monitoris consultoris, ab alio malo Academico novo periculum, non leve profecto, imminet: nam in lites si incidat, injuria quæpiam affectus aut contumelia, sacrum inter & saxum quasi consistit, Scyllam inter & Charybdim navigat; si enim injuriam mussitet, aut præstiti memor jurisjurandi, querelas suas ad Magistratum deferat, tantum non infamiæ notatur à cæteris, ut homo pusilli animi, imò Studiosorum poene consortio excluditur, censentium viri non esse adire Judicem aut queri, cui quicquam sit vel animi, vel virium; si autem vi & manu illatas vindicet injurias, corporis animæque salutem perjurus præsentis offert periculo, etiam legis violatæ poena plerumque carcer est aut relegatio.

Vere itaque Academicus hodie novus
navigat Ægæum.

LXXXVI.

Fugiendæ lites & bella pestifera.

Pax colenda unicè, maximè.

Immanes belluæ.

Si belluæ immanes, apri & lupi, non nisi
 Sin dispar genus sæviant, sævisqve inter
 se ursis conveniat, (a) rabida tigris cum ti-
 gride pacem colat, quantò minùs homines,
 ad colendam societatem atqve Amicitiam
 quasi nati factiq; , quibus neqve truces sunt
 oculi, neqve horrenda vox, dentes fulmi-
 nei, venenati aculei, cornua minacia alia-
 que, quibus alia animantium genera natura
 armavit, arma, inter se assiduè dimicent,
 ruptoqve mutui amoris vinculo, sanguine-
 is rixis cædibusqve gaudeant, inermes, ut
 dixi, nascimur, alieni maximè subsidii,
 præsidii egentes, in primis Rationis nobis
 & Orationis est usus concessus pecori nega-
 tus; utramqve verò tam Rationem, quàm
 Orationem ad parandam alendamqve be-
 nevolentiam plurimùm facere palàm est,
 unde igitur lites pestiferæ & bella lacrymo-
 sa? leoni leo fortior vitam non eripit, at
 quid mortales inter frequentius, quàm, so-
 luta

luta quasi humanitatis copula, hominem, ejusdem quandoque fidei & sanguinis, jugulare, trucidare. Verissimè Tullius noster, nulla, inquit, tam detestabilis pestis est, quæ non homini ex homine nascatur. (b) O rem indignam! Neque barbari tantum belligerant & dissidia foveant ac discordias, sed Principem etiam Pacis Jesum Christum secuti, qui, uni huic sacramento obligati, jurarunt ipsum se Ducem per omnem vitam secuturos esse, ejuratis studiis operibusque Satanae, caelo adversissimis convitiis se mutuo proscindunt, ferro sauciant, telo necant, eoque, quò iræ rabies, quò interdictæ toties vindictæ cupiditas impellit, caeco feruntur impetu, non JESU sui persecuti vestigia, sed Furiarum executi imperia, quibus unum opus est armare in prælia Fratres atque odiis versare domos & verbera tectis funereasque inferre faces, uti de Alecto apud Maronem Juno loquitur. (c) Quare cum plusquam ferinum sit ac belluinum bellare, à bellis, quæ ambitionis aut avaritiæ ergò explendæ geruntur, mansueta Fidelium pectora rectè abhorrent.

(a) Hor.

(a) *Hor. od. 7. l. Ep. Juv. Sat. 15.* (b) *Cic. l. 2. Off.* (c) *Virgil. l. 7. Æn.*

LXXXVII.

Concordia parvæ res crescunt,
Discordia dilabuntur maximæ.

Sciluri fasciculus.

Nullam esse propemodum tam barbaram regionem aut gentem, quæ non producat, non alat illustre aliquod Ingenium, cum veteri nova docet historia, certè Scythas Græci Italiqve dixere barbaros, neqve negari potest eam gentem mansuetioribus minimè literis fuisse deditam, at Legati Scythici ad Alexandrum M. missi oratio sapientiæ non vulgaris index est, Curtio iudice (a) & Horatius noster Scytharum alicubi mores Romanis antefere non dubitat, (b) sic Scilurus Scythæ non inscitè jam moriens octoginta suis Filiis Concordiam commendaturus, fasciculum jaculorum porrexit iussitqve frangere, quem cum frangi à se posse negarent, soluto ipse fasciculo, singula facillimè fregit jacula, adjiciens: & Vos invicti infractiqve adversus vim quamlibet
stabi-

stabitur, si concordiae nexi vinculo, mutuis salutem vestram auxiliis defenderitis; contra intestinis disjuncti odiis atque diffidiis, interibitis imbelles fractique, atque hostibus vestris ludibrium debebitis. (c) Ita Imperia, Regna, Civitates, domus singulae, florente florent pace & concordia, at hac submota ortaque seditione, cum saevit animis ignobile vulgus facesque volant & saxa, ἀνὰ τὰ, κατὰ τὰ feruntur omnia tandemque pessum eunt. Quid Romam, tam potentem Orbis Dominam, suis spoliavit ornamentis, incrementis? Discordia. Quid Aquilae Imperiali bicipitaliterum abscidit caput? Regentium ut socordia, ita discordia & mala, quam cum Latinis colere Graeci, gratia, Poloniae gravis est & invisa vicinia & hostis plurimus, at multo ipsi majora gravioraque minari mala videntur, ipsis quasi visceribus haerentia, diffidia, quam Russus, quam Turca & Tartarus. Supplices itaque Deum nostrum oramus atque obtestamur, ut Patriae nostrae fervet Concordiam ea salva Germaniae minime opinor esse defuturum, quo se, quo Religio- nem ac Libertatem tueatur.

(a) Curt.

(a) *Curt. l. 7. S. 8. Horat. od. 24. l. 3. Carm.*

Campestres melius Scythæ vivant.

(c) *Plut. in Apophthegm.*

LXXXVIII.

Orbis pars melior, Docti.

Oculus.

QUOD oculus in corpore est, id sana mens in animo. Oculo eruto aut morbo amisso, corporis & membrorum usus vix ullus est, sine Duce viæque præmonstratore, oculo qui caret, progredi ausus, facile impingit inque foveam, ante pedes quæ est, prolabitur, omnibus omnium ille injuriis expositus est, cum neque hostem, neque tela videat, noxam allatura, ac proinde homine cæno nihil est & habetur infelicius, licet omnibus iis, quæ in homine dicuntur bona, abundet. Ita animus quidem omnibus est, at mens literis moribusque probè exculta paucis, unde, licet plebs profana, unicè plerumque his rebus intenta, quæ quæstui sint ventrique serviant, satis sibi acutè videre videatur, eadem tamen oculo mentis destituta, non cognoscit aut perpendit,

dit, quid in rem sit animæ, quid ad laudem, ad gloriam parandam faciat. Verissimè Græcus: ὁ γραμματέων ἀπειρὸς ἔβλεπε πρὸς βλέπων, quare, quanquam mortalium nonnulli latissimè imperant & num̄os metiuntur, (a) sua & vulgi delirantis opinione beatissimi, cupiditatum tamè servuli sunt pauperrimi, miserrimi, cum mentis oculo neque quā cernant, quid pulchrū sit, quid turpe, quid utile, quid non, mens regnū bona possidet, (b) animus, non area dives est, dicente Tullio, (c) quare in mente à teneris excolenda unicè occupatus sit oportet, satis arduas hominis partes ritè rectèqve expleturus: mens enim Artibus, ad Humanitatem quæ pertinent, pulchrè instructa, dictitat, quæ facias, quæ fugias, bonus hic Genius est in Tabula Cebetis, qui homini, vitam hanc ingresso, præcipitem illam asperamqve viam monstrat ad sublime illud Salutis Domicilium ducentem, cæci sunt aut minimūm cœcutiunt, qui rerum, eruditi quas norunt, rudes & imperiti vitam in tenebris degunt inscitæ, imò nec vivunt hitales, si qua fides Aristoteli, qui quid doctos inter & indoctos discriminis esse putaret,

G ret,

ret, interrogatus, respondit: quod vivos inter & mortuos.

(a) Horat. Sat. 1. l. 1. de Umidio: dives ut metiretur nummos. (b) Sen. in Thyest. vers. 379. (c) Cic. in Parad. ult.

LXXIX.

Felicitas humana incerta dubiaque.

Rota.

ROta dum volvitur, una pars ascendit, descendit altera, ab ascensu descensus pender. Eadem est humanæ Felicitatis conditio ac vicissitudo, magnis negatum est stare diu, fortuna volubilis passibus errat ambiguus, rotat omne fatum, (a) ad summa evehit, evectos quandoque dejicit, potens ille rerum Gubernator Deus, *Βεράει, Βεράοντα χαλέπει*, (b) nec quisquam Deos, ut ille ait, tam faventes habet, crastinum sibi ut polliceri possit, (c) *Τὰ ἀνθρώπων κύκλῳ*, opes, honores aliaque talia, nullis non periculis & mutationibus obnoxia affluunt, quapropter etiam veteres fortunam, ut alibi diximus, in globo aut pila

con-

consistentem pinxere cum Cebete, antiquissimo Philosopho, innuentes, quàm verfabilis sit, ut Senecæ voce utar, omnis conditio, quàm incerti sint & instabiles secundi rerum successus, (d) quoties jacentem videt vespera, prima qui luce palmæ instar floruit, albæ, quod ajunt, Gallinæ filius, felix ad invidiam, quod Regnum est, ait jam laudatus Seneca, cui non parata sit ruina? quæ divitiæ, quas non egestas, non fames à tergo sequatur? Quæ dignitas, cujus non prætextam sordes comitentur, & deportatio, & extrema contemtio. Quis Pompejo major fuit? quis Sejano honoratior? at illi fugienti panis & aqua defuit, coacto liberti sui transfugæ gladio secandas præbere cervices, hic Tiberii, qui evexerat, jussu cum omni familia cæsus, laniatus in Tiberim projectus est ab eodem, qui paulo ante, ut præsens aliquod Numen, ipsum adoraverat, populo. Proinde non ineptè Rex ille, qui Sesostris aut Cyri, ut alii volunt, quadrigis triumphalibus junctus, unà cum cæteris Regibus captivis ad rotam respexit sæpius, causam hujus rei interrogatus, respondit, se rotam sursum deorsum volvi cernentem,

pendere vitæ fortisq̄ve humanæ instabilitatem, in qua ima ad summa evehantur, summa ad ima devolvantur.

(a) Sen. in Hippol. Quanti casus humanarotant. (b) Hes. l. 1. Op. (c) Sen. in Thyest. (d) Sen. de tranquill. animi.

X C.

Vanitates terrenæ aspernandæ.

Crepundia.

QVæ vires atq̄ve opes humanæ vocantur, cum puerilibus rectè crepundiis componit Val. Maximus: (a) quemadmodum enim pueruli aut puellulæ pupas suas & imagunculas, ensiculum aureolum, sifculam agenteolam, securiculam auream aliaq̄ve id genus ludicra, in pretio habent eademq̄ve amissa aut adempta sibi veris prosequuntur lacrymis, si tenellæ huic ætati pictos offeras globulos, & nummos aureos, optione, utrum velit, diligendi data, utramq̄ve ad illos manum tendit, his rejectis, ad eundem modum hominum pars maxima inani atq̄ve inutili vanitatum splendore capta, terrenas illas nugas & siliqvas unicè
 anhe-

anhelat, inhiat, captat, domi suæ si amplam cernat & splendidam supellectilem, si ingentia auri argentiqve pondera arcarum claustris fervet custodita, si veste sæpius mutata prætereuntium moretur oculos plebique tam novè hominem splendideqve vestitum intuenti moveat admirationem, si pictis eqvo phaleris constrato insideat, aut sejugibus, more Magnatum, vehatur, si dignitate vicinum superet atqve in via publica incedat, multo statore comite, suas ipse miratur prædicatqve felicitates, neqve esse autumat, quod amplius desideret, cum tamen nihil his fallacius sit, vanius nihil aut fluxum magis, quippe quæ possessoris animum edaci cura non liberant, neqve corpus à dolore, sæpe acerri-
mo, vindicant, plurimo hæc talia labore paranda, parataqve mordaci cum sollicitudine, metu, invidia possidentur & tanto cum dolore ac mœrore amittuntur, ut ante diem quandoqve, tam addicta iis, quas dixi vanitatibus, mancipia jactura ea abire illuc cogat, unde non reditur. Quid? quæ ultima dementiæ linea est, ab oppido paucis tam ridicule non delirantibus, hæc

apinæ tricæq̄ve cœlestis opibus gratiæ vitæ-
q̄ve postponuntur, homines reperias tam
puerili mente & iudicio, qui, si pingvissi-
ma ipsis offeratur conditio, si honoris pur-
pura, si luti splendentis copia aut Principis
magni gratia, Fidem abnegent, Religio-
nem mutant, id quod revera est globulum
aut nucem vitiosam millies mille argenti
talentis redimere, aut cum gallo in Fabula
pretiosissimo unione granum hordei præ-
ponere.

(a) Val. Max. l. 6. circa finem.

XCI.

Error multorum & Cæcitas.

Andabata.

Multa variaque fuisse Gladiatorum ge-
nera, Antiquitatum Romanarum
vix quisquam tam imperitus est, qui nesciat.
In his ludis aut potius laniensis, quibus per
lusum quasi & jocum plurima esse cæsa ho-
minum millia è Lipsianis Saturnalibus cui-
vis patet, Gladiatores erant, qui diceban-
tur Andabatae (sic dicti, ex ἀντα contra &
βαίνα eo) qui ex eqvis pugnabant, galea fron-

frontem oculosque tecti. Quam multi hodie controversiæ statu vel non intellecto, vel neglecto, cum umbris, quod ajunt, luctantur disputantes, & jaculo non feriente petunt adversarium, de cepis hic quærit, ille de aliis respondet, vel, ut Hipponax dicere consuevit: hic mulget hircum, alter cribrum supponit. Si hic bona opera necessaria esse contendat æternâ salute potituris, reclamatione ille damnatque; hanc sententiam, unius Christi merito Fideique salutem esse adscribendam affirmans, nempe alteri de necessitate, ut Scholæ loquuntur, Efficientiæ sermo est, alteri de necessitate præsentia, ita Andabatarum more pugnant, & neuter alteri contradicit, in verbis tantum dissensio est, in re nulla. Mariam Virginem aliosque sanctos sunt, qui mirifice commendant, Virtutes narrant, commemorant encomia, at nihil ista ad nos, qui B. Virginem cæterosque Sanctos honorandos laudandosque esse facile largimur, at invocandos eos adorandosque esse constanter negamus, cum Epiphanio dicentes: sit in honore Maria, at SS. Trinitas adoretur. Si quis Evangelicam doctrinam unice sum-

meque salutarem urgeat & sit, qui inde colligat aut conjiciat, repudiari damnarique Mosen cum lege sua, Andabata est & aëra ferit, cum Legis auctoritati Evangelii commendatione nihil detrahatur, Lex & Evangelium pulcherrimè conspirant: ex lege enim morbi est agnitio, cui medicinam facit vox Evangelica. Ad hos Andabatas rectè retuleris, qui cum alienis vitiis acerrimè conflagunt, domi quem hostem habent & gremio fovent, non vident, non feriunt, de quibus Suffenis antehac quæ diximus, repetere nunc non libet.

XCII.

Sorte sua quis contentus?

Avicula cavæ inclusa.

Licet aviculam cavæ inclusam domi aliquis servet, ejusque cantu valdè delectatus, ubertim ei alimenta præbeat, eadem tamen in vinculis se teneri indignata, ad libertatem præter avium volantium aspirat, & claustra sua frangi discupit; contra verò, quæ liberas auras, ut ita dicam, transit & pererrat, tutam huic quietem &

victus

victus abundantiam invidet, cum ipsi non sine cura ac periculo conquirenda sua sint pabula, neque ab ungue accipitris tu,ta, neque ab hominum insidiis, ita sua cuique cavea est attributa, sua fors ab eo, qui, quid cuivis expediat, omnium novit optimè; jam verò nemo propemodum sortem hanc suam boni consulit, quilibet à vicino suo se felicitate superari autumat doletque, licet, humana quæ poscit indigentia, abunde suppetant. Regem in eburneo confidentem solio, epulantem tam lautè, vestitum tam splendidè, cum stupore poene beatum prædicat Colonus, at Rex quandoque Regno, tam fallaci bono, (a) minimè gavisus somnos impavidos, quos casa præbet, tantum non invidet Colono, cui multò est cæspes mollior ostro tyrio. (b) Ita & Coelebs Marito tam grata vincto compede censet esse plurimum, quo gaudeat, at hic illum, sub minori curarum gementem mole, invidis poene intuetur oculis. Agricultor, fastidiosam civium copiam & molem propinquam nubibus arduis spectans, solos felices viventes clamat in Urbe, at vicupediis suis sæpe gratiores sunt parvo

sub lare pauperum mundæ coenæ, (c) laudat ille ruris amoeni rivos & musco circumlita saxa nemusq̄ve, (d) Optimum est re sua suaq̄ve sorte contentum manu non ingrata accipere, quicquid boni malive intereno hoc ergastulo nobis obtingit, jam jam aderit dies, quo fracta cavea, servitutem optatâ mutabimus libertate.

(a) Seneca in Hippol.

Quisquamne regno gaudet? O fallax bonum

(b) Idem in Herc. Oet.

*Cesspes tyrio mollior ordo solet impavidos
Ducere somnos.*

(c) Hor. od. 29. l. 3. Carm. (d) Hor. ep. 10. l. 1.

XCIII.

Scenæ serviendum, salva honestate, & tempori.

Veli ad ventum directio.

UT cunq̄ve in alto ventus est, ex in velum venti mos est: (a) nam ventis reluctari & niti contra torrentem, & odiosum opus est, & irritum; In omni vita, qui oculo mentis rectè utitur, nec fungum pro cere-

cerebro habet, scænæ foroqve servire in loco meminit: eque cum perduto adulantium grege nihil nobis rei est, quibus omnia assentari quæstus est multò uberrimus, vel sceleratissimo cuique obsequi non recusantibus propter os & offam, at si quis, & fama integra, & honestate illæsa, de jure suo concedendo, indulgendo, studiis Amici obsequendo, optimi cujusqve sibi benevolentiam, quæ non mediocre telum est ad rem bene gerendam, (b) conciliare annitatur, in rem suam mea sententia sapit, ille si assequi nequeat, quod velit, velle incipit, quod obtinere queat, neque tam tenax est propositi sui, ut vel invito cælo voti sui se compotem fore confidat. Nota sunt illa Comici: quando id, quod vis, fieri non potest, velis id, quod possit, (c) si hac non successerit, aliam rem via aggrediare. Vento imperare non licet ei, qui navigat, aut fluctibus, quibus Xerxes ridiculè demens nequicquam verbera inflixit & compedes injecit, ita & fors nostra, non in nostra, sed in Dei manu posita est, proinde si benignior aura votis captisque nostris aspiret, alacri portum cursu petamus; si adversa surgat

tempeftas, in ancoris naviculam teneamus,
aut mutata velificatione eò, quò iter nobis
eft, teneamus: πάλιν δραμεῖν ἀμεινον, ἢ
δραμεῖν κακῶς.

(a) *Plaut. Aët. 1. Sc. 1. Epid.* (b) *Cic. l. 1. Off.*
(c) *Ter. Aët. 2. Sc. 1. Andr. & Aët. 4. Sc. 1. Andr.*

XCIV.

Regia in cœlum Via.

Scala Jacobæa.

Cum fraternas iras minasque fugiens
Jacobus Patriarcha peteret Mesopota-
miam, de via viator fessus, tecto negato,
humi sub dio, nocte somnoque oppressus,
cubabat & mollissime quiescens (quies enim
fatigatis vel in lapide dulcis est) in
somnia videbat cœlo demissam scalam, una
parte cœlum, altera terram contingentem
eaque ascendebant, descendebant Angeli,
custodes hominum, in suprema scala Deus
apparebat, exuli tutelam, gratiam, bene-
dictionem pollicens, quo divino ille so-
mnio non parum confirmatus hinc, agebat,
præsens Dei domus est, hinc porta cœli (a)

JE-

JESU typus hæc Scala est, & ille coelum terræ conjunxit. Deus & homo, hominem inter & Deum Mediator unicus, qui submotis repagulis coeloque rupto, verus ille perruptor, cujus propheta Michæas meminit, (b) sanctissimo suo merito liberrimum nobis patefecit iter, ita ut cuius mortalium eo ipso, non suis aut Sanctorum meritis confiso, Scala hac in coelum ascendere liceat. Hac in terram demissa scala, JESU Servatore nato, ingens Angelorum multitudo ruit æthere, læta nunciat Pastori, & hymnum canit, perditis Adami posteris novas gratulata felicitates, quid? Deus ipse jam propitius Pater novo nos amore complexus, quibus maledixerat, benedicit, certa præsidia humana ope desertis spondet plenaque effundit manu, quibus egena salutis eget anima bonis, coelesti olim gaudio potitura. Ardens etiam Oratio Scala est, quæ nubes contingit, imò penetrat impetratque à Deo facili, quæcunque desiderat, ascendit, ait ille, Oratio & descendit miserratio, ideoque exul, homo, infelicissimus eò, quo tendit, perventurus, scalam hanc admoveat coelo, precibus Arcem Omni-

potentis expugnet, ita, cursu suo feliciter absoluto, cum Jacobo rem faciet, quibusvis è malis emerget & florebit jugiter, sub & in coelo beatissimus.

(a) *Gen. 28, 12.* (b) *Mich. 2, 13.*

XCV.

Præmium Victoriæ Gloriæ
Corona.

Victor Coronatus.

Coronatos esse antiquitus Victores, & pueris, qui vix ære lavantur, esse opinor notissimum. Olympionices, qui è ludis Olympicis (quinto aut potius quarto anno, ut Doctiores volunt, habebantur hi ludi in honorem Jovis Olympii apud Urbem Olympiam aut Pisam in Elide, Peloponnesi Regione) Victor discesserat, coronatus in patriam cum honore summo, etiam per ruinas murorum, reducebatur. Triumphator Romanam coronatus ingrediebatur, ita qui Civem servaverat, Civica, qui primus in hostilis Urbis expugnatione murum conscenderat, Murali, primus in hostium navem transilierat, Navali, primus ho-

hostium castra pugnans introierat, Castrensi donabatur, & hæ coronæ ex auro factæ erant, aut è fronde laurea, qverna, oleagina, uti Nepos refert Thrasybulo, publicæ Libertatis vindici & assertori felicissimo, honoris ergo coronam à populo datam esse, factam è duabus virgulis oleaginis, ejusmodi Coronam qui erat adeptus, tantùm non cœlum digito attigisse sibi videbatur, neque labor tam arduus erat, quem non susciperet miles, aut tam grande periculum, quod non subiret athleta, victoriæ hujus gloriæque potiundæ cupiditate inflammatus. Et nobis pugnandum vincendumque corona potituris, non aurea aut laurea, quam ter uncio non redemerit Christianus, ad æterna aspirans, sed corona vitæ immortalis. Quos non cruciatus olim tulere Martyres, flammis ustulati, aquis merfi, flagris cæsi, crucibus affixi, à feris discerpti, ut Coronam, constanti ad finem usque fidei promissam, adipiscerentur; & nos tam molles simus & effœminati, ut Cultores Crucifixi crucis onera cum gemitu feramus, cœlum & astra pœne vocantes crudelia, si ad nutum non fluant omnia, imò

re-

reperias, qui Fidei hastam abjiciant potius, quam prædioli aut ægelli jacturam faciant, in adversis maximè elucet Christiana Virtus, pugnandum est ante victoriam, Coronæ cœlestis hæc est epigraphe: *Vincen-
ti datur.*

XCVI.

Plagii accuratè vitandi comites
dedecus & ludibrium.

Cornicula alienis ornata
plumulis.

Corniculam (a) cæteræ risere aviculæ, cum alienis primùm ornata plumis admiratæ, furtivis postea nudatam coloni- bus spectassent, notior fabula est, quam ut pluribus explicari verbis egeat; & hodie furaces ejusmodi cornices alicubi invenias, puto Plagiarios: ita enim cum Martiale appellamus eos, qui cum suo opte ingenio doctrinaque emergere famamque demereri publicam nequeant, undecunqve possunt, compilant, quod pro suo labore venditent & sub speciosis titulis in vulgus edant, cujus plagii plagæ poenæ sunt satis acerbæ, quæ
non

non quidem corpori, sed famæ infliguntur ab iis, qui furtum eos fecisse ac pro suis, non suis, usos esse ostendendo, graviter coarguunt & mordaci lotos aceto doctiorum collegiis deridendos ac deludendos præbent, ita ut pro luce fumum, pro gloria contemptum & ludibrium metant & jacturam non minimam faciant existimationis suæ, cui augendæ perqve omnia omnium ora differendæ unicè student, eo loco numeroqve habendi, quo Thraso ille Comicus, (b) qui salem habere sibi videbatur, cum alieno magno labore partam gloriam in se transmovebat; e quidem injurium est, si quis, hanc & illam sententiam aut loquendi formulam in scripto aliquo si legat laudatam, illicò plagii Scriptorem postulet, laudibus obtrechet detrahatqve & exclamet cum Lavinio furem, non Poëtam dedisse fabulam, iniquus hic Arbiter arrogantiam pariter atqve invidiam prodit; illam, dum Aristarchi sibi partes sine populi sumit suffragio, hanc, dum invidis spectat oculis ejus, cui impar est, incrementa, doletqve in laude poni laborem vicini. Annon bonorum habemus exempla, qui itidem fecerunt,

re, veteres quod factitarunt, quæque convenere, ex eorum scriptis in sua transtulere sine vitio, & quid, quæso, dicatur, quod dictum non sit prius? Alius tamen ordo rerum est, alia compositio, applicatio. Sed mittamus hos vitio creatos Censores & redeamus ad eos, qui, privatis destituti opibus, cum Celso Horatiano non sine periculo scripta tangunt, Palatinus quæ Apollo recepit, aut nimis audacter imitando, integras pagellas exscribunt, & celato Scriptoris nomine, hæc, inveniunt, mea sunt, hos cum Cornice, quæ de dixi, componi & explodi est, quis neget? æqvissimum.

(a) *Horat. ep. 3. l. 1.* (b) *Ter. Act. 3. Sc. 1. Eun.*

XCVIII.

Vulgi voluntas flexibilis, favor instabilis.

Luna.

Luna mutabilis est, jam plena, sereno coelo, refulget inter minora sidera, jam nulla apparet, cum nova est, modò gibbosa surgit, modò corniculata, & paucis diebus

bus multis obnoxia est mutationibus, sic & plebs profana lunæ instar variabilis & mutabilis est, ad summa hunc evehit, & eventum cras aut perendie throno suo dejicit damnatque, in prima, ut ita dicam, classe illustrium Virorum omnibus omnium suffragiis collocatum, mutata voluntate, ad ultima relegat subsellia spretum contemptumque & inter everfos positum calcat. Expertus id Sejanus est, potens Romanæ Vir, regnante Tiberio: nam cui populus primo die Diis pene pares honores tribuit, eundem epistola Principis è Capreis allata ante vesperam infrusta divisit. Qui Dionis vitam in Nepote legit, haud ignorat Dionem Virtuti nulli secundum, Sicilia recuperata & Tyranno Dionysio profligato, gratissimum civibus suis fuisse, at non multò post grave incurrit odium plebis, Tyrannum non ferendum dictitantis, eadem tamen plebs cæsum Patriæ Liberatorem & Tyranni expulsorem prædicavit, parata vel sanguine suo ab Acheronte occisum redimere, quare populari auræ nimis fallaci minimè fidat, cui cum populo, multorum illa capitum bellua, res est, humana voluntas

tas

tas flexibilis est, (a) ut J. C. i. loquuntur, ambulatoria, Quirites mobiles, (b) non temere Senatores Romani calceos lunulatos gestasse videntur, eo scilicet, quod & honor instabilis Regentium est, & favor, & opinio. Sapientis est propositi tenacem constanter sententiam tueri suam, neque adversitatibus, quantumcumque sint, aut periculis frangi aut mutari, ejus animus talis sit, qualis mundi status super lunam, semper illic serenum est, (c) sic Socrates eo semper vultu, domo quo exierat, reversus est domum, & Catonem mutata toties Resp. mutatum nemo vidit, (d) Stultus, ut ait Ecclesiasticus, ut luna mutatur.

(a) Cic. pro Mil. Nihil tam fragile aut flexibile, quam voluntas erga nos sensusque civium. (b) Hor. od. 1. l. 1. Carm. (c) Sen. ep. 59. (d) Id. ep. 104.

XCVIII.

Pugnandum, Laborandum in
omni vita Christiano.

Miles in armis laborans.

Cum Nehemias à Persarum Rege veni-
am impetrasset potestatemque diruta
mu-

muros Solymæ restaurandi, in vicinis non deerant, qui invidia odioque Israëlitici nominis sanguinisque incensi, opus inceptum ibant impeditum, unde armati laborabant, unaque manu in extruendis occupata moribus, altera hostem arcebant. (a) Cui spiritualis structura Solymæ mandata & fidelis cura gregis commissa est, ad labores se vocatum sciat, ad excubias agendas, ad bella conficienda, non ad quietem, ad lulum, ad otia minimè his, qui aliis præsumt (Præsides haud decet esse desides) convenientia: ritè enim sacro functurus munere hac manu ædificet, ita scilicet doceat, ita vivat, ut auditor indies evadat melior, doctior; nec sciat tantum, quæ credenda agendaque sint Christiano, re non minus, quam titulo, sed firmissimè etiam eadem credat, ab errore, qui damnet, immunis, vitamque sic agat, ut à Pietatis regula ne latum quidem unguem sciens declinet, aut ulli se vitio, quo coeli Patrem offendi gravissimè haut ignorat, mancipet, unius hæc manus opera sunt; altera lupos & ursos ovile JESU circumgementes & ululantes, qua via cunque licet, depellat, hæreses & errorum
fato-

fatores factoresque, qui sub ovina pelle animum moresque celant lupinos atque à Doctrina sana regioque Virtutis calle incautam facillimè plebem abducunt, indicet, castiget, profliget, manibus quasi pedibusque obnixè omnia faciens, quæ ad ædificationem Ecclesiæ & salutem animarum (ea Lex meritò suprema Sacerdoti) pertinere mens à Deo illustrata judicat. Quilibet etiam Christianus, sub signo crucis qui militat, JESU duce & auspice, nunquam otiosus, una manu ædificet, in omni virtutum genere sese exerceat, in vinea Domini strenuè laboret, & Deo suo suoque proximo optima fide serviendo ostendat, quanta sibi cum cœli gratia, tum animæ salutis curæ sit, altera manu, manu non inermi, neque imbelli, adversus mundi immundi illecebras, carnis lascivæ lenocinia, satanæ ferocis impetus masculè pugnet, ad quam pugnam Ephesios cohortatus Apostolus certa ipsis & cuiusvis fidei arma commendat, quibus arreptis invicti stabimus infractique, DEO duce tam potente quid non speremus? (b)

(a) Nehem. 4, 17. (b) Eph. 6. v. 10. & seq.

XCIX.

XCIX.

Christiani vita jugis Pœnitentia.

Serpens.

DE Serpente, præter Plinium, docet
 Experientia, quod angustam perre-
 pens rimam, veterem quotannis pellem
 exuat & positis exuviis, quasi juvenescat.
 Nobis moriendum est, linquenda tellus,
 (a) domus, quæque placent omnia: pona-
 mus itaque lubentes corporis hujus exuvi-
 as, certi cum Jobo in die nos ultimo eadem
 quidem, at renovata mireque nitenti iri
 pelle circumdatum: (b) nam, quod semi-
 natur in corruptione, ut verba habent A-
 postolica, in ignominia, in infirmitate, sur-
 get in incorruptibilitate, in gloria, in po-
 tentia, (c) quam beatam Resurrectionem,
 qui expectat anhelatque ante mortem mo-
 riatur vitiis veteremque Adamum, cujus
 reliquæ in hac mortalitate funditus tolli
 atque extirpari nequeunt, non quotannis,
 sed quotidie vera seriaque poenitentia exuat,
 sordibus, inquam, scelerum inquinatos
 pannos nova mutet Justitiæ stola, quæ A-
 mi-

miſtus ille nuptialis eſt, quo non indutus
 hoſpes epulo cœleſti excluditur damnatur-
 que ad tenebras, ad planctum & ſtridorem
 dentium. (d) Tibi loquor, Avare, qui in
 opibus, quo jure quaque injuria corraden-
 dis totus es, Tibi, Ambitioſe, cui theſau-
 rus umbra eſt, Aula cœlum. Tibi, Ebrioſe,
 cui venter Deus eſt, popina, Templum,
 Tibi, Libidinoſe, cui nectar eſt peſtiferum
 voluptatis virus. Tibi, Ignave, cui viva
 placet cum Vacua ſepultura. Tibi, Invidę,
 cui dolorem vicini proſpera, adverſa pari-
 unt gaudia. Vobis omnibus loquor, pec-
 catores, qui tenebrarum opera diligentes,
 in pelle veteris Adami mirificè vobis pla-
 cetis, reſipiſcite & ſerpentis in hoc imitato-
 res, exuite ſordidam hanc & ſordidatam
 tunicam, qua amiſtis ad Paradifiacas deli-
 cias negatur, ut dixi, acceſſio, hominem
 renatum & renovatum vita nova noviſque
 mores maximè decent, quo de S. Cathe-
 dra monſt indies plebem, ſuo ſæpe malo
 monitori aſperrimam.

(a) Horat. od. 14. l. 2. Carm. (b) Jobi c.
 19, 26. (c) 1. Cor. 15, 42. 43. (d) Matth.
 22, 13.

C. Via

C.

Via non mollis ad astra ducit,
Mutantur tristia lætis.

Carcer & Thronus Josephi.

Patriarcha Josephus, magnum illud exemplum Continentiæ Castitatisqve, in carcerem conjicitur, in cujus squalore non dies, non menses aliquot, sed solidos annos exigit. Hæccine, inqvies, Pietatis præmia? His moribus itur in nervos? Rem indignam! at judicium, quisquis es, suspende & exitum vide: tam enim subita res adversas consecuta est mutatio, ut idem ergastulum throno paulò post mutaverit: cum enim Pharaonis somnium, cui interpretando non erat in tota Hæriolus Ægypto, interpretatus esset, auro & purpura donatus, quadrigas regias à Rege proximus conscendit & Patriæ Pater appellatus, in omni honorum opumqve affluentia consenuit, cui & Pater ipse cum universa domo supplex factus, in ultima annonæ caritate Curatorem invenit habuitqve, qui de alimentis ipsi cum numerosa sua familia prospiceret liberalissimè. **Q**uemlibet Josephi æmulum

H

lum

lum in vitæ integritate eadem fors manet, bonis plerumq̄ve tam malè est, quàm malis benè, hi florent, hi regnant ætatemq̄ve argunt musicè, illi jacent, in vinculis hærent & lætitiæ suspensa cithara, ad Babylonis confident fluenta, jugi madentes fletu, cum neq̄ve consilii sæpe habeant locum, neq̄ve auxilii copiam, at in tempore præstò Deus est & calamitatum pulsa nubecula, solem reducit felicitatis. David Rex Pietate & armis insignis, decennium exul oberrat, incertus vitæ tot inter pericula vitæ, à tenui quasi filo pendentis, tandem tamen emergit & hoste submoto, regno potitus pedum sceptro mutat. Quis Jobi nescit probitatem juxta ac miseriam, idem tamen patientiâ victor, quæ amiserat, cum foenore recepit. Daniel, Deo vir charissimus, in leonum ante foveam descendit, quàm ad invidendæ fastigia dignitatis evectus est. Eandem experta sortem ingens Martyrum multitudo, quod si & nobis in nervis & compe-
dibus multiplicis calamitatis omnis hæc vita sit exigenda, captivitas ea ipsa vita, quæ ne momentum quidem est cum æternitate composita, diuturnior esse neq̄vit, brevi
ade-

aderit, qui solvet hæc vincula, dies ultimus,
 beata mors spineta rosetis, carcerem Para-
 diso mutabit, optatissimus malorum
 omnium

F I N I S.



INDEX GEMINUS.

I.

Rerum,

Quæ per similia declarantur.

A.

<i>Academica Vita periculis obnoxia</i>	<i>Ep. 85.</i>
<i>Adamus vetus</i>	5
<i>Ad astra laboribus itur</i>	1
<i>Amar a bujus vitæ Jesu solatia temperant</i>	64.
<i>Amicitia olla ferventis</i>	46
<i>Amicus certus in re incerta cernitur</i>	80
<i>Amor nimius nocens</i>	23
<i>Anima fidelis pugna sitis, fons</i>	6
<i>Anima portus Ecclesia</i>	2
<i>Animus insolens</i>	5

C.

<i>Calamitas occasio Virtutis</i>	33
-----------------------------------	----

H 2

Ca-

INDEX

<i>Calumnia innocenti, nec potenti, maximè gravis</i>	39
<i>Calumniatorum hominumq; mendacium cœ- citas, fœditas</i>	53
<i>Censura dat veniam corvis, vexat colum- bas</i>	31. 75
<i>Christiani vita jugis pœnitentia</i>	99
<i>Cœlo cœnum, æternis caduca præponit deli- rantium multitudo</i>	73
<i>Cœlum & cœlestia anhelanti terrena sor- dent</i>	70
<i>Concordia nihil dulcius, nihil in vita saluta- rius</i>	51
<i>Concordia parværes crescunt, discordia di- labuntur maxime</i>	87
<i>Consuetudinis vis maxima</i>	78
<i>Cor vacuum Dei capax</i>	20
<i>Crumenimulga & alienæ rei extortores</i>	49
<i>Crux sua suaq; cura quemlibet macerat, be- ata mors malo liberat</i>	43
<i>Cura metusque vitæ comites, certa mors incerta dies</i>	68

D.

<i>Deo Servatori debetur gratia</i>	22
<i>Deo servire libertas est, parere summa feli- citas</i>	60

Di-

GEMINUS.

<i>Divitum quorundam mores illaudati</i>	27
<i>Docentis culpa nulla est, si è quovis ligno non fiat Mercurius</i>	76
<i>Docti orbis pars melior</i>	88
E.	
<i>Errantium lux & dux</i>	42
<i>Error multorum & cæcitas</i>	91
<i>Exercitatio alit Ingenia, corrumpit igna- via</i>	79
F.	
<i>Fastus fatuus mortalium</i>	55
<i>Felicitas humana incerta dubiaque</i>	89
<i>Florenti non deest cultor, jacenti contem- tor</i>	50
<i>Frons atque Oratio fallunt</i>	29
<i>Fronti nulla fides, diffidit, qui sapit</i>	74
<i>Fungi & inutilia terra pondera nusquam non plurima</i>	62
G.	
<i>Garrulitas, Avaritia, Prodigalitas casti- ganda</i>	82
H.	
<i>Hereditate mores studiaque illaudata</i>	83
<i>Helena foris, intus Hecuba per sepe scelus</i>	57
<i>Hominis Christiani decor & pulchritudo</i>	8
<i>Hominis cujusvis officium</i>	30
H 3	Homo,

INDEX

Homo, quàmores, quàm fortunam, mutabilis, instabilis 15

Homores fragilis & caduca 9

Hypocrita foris quid pulchrius, intus deformius? 12

I.

Jesu gratia Fidelium Asylum & Tutela 40

Jesu mors, mors mortis 16

Jesus Arbor vitae, fons solatii 11

Jesus lux orbis 3

Imperantis officium 81

Ingenia excolenda & rite recteq; informanda 41

Ingenium nobile 5

Ingrati animi crimen foedum & execrabile 19

Ingrato homine quid pejus? 32

Intelligentium est judicare 77

In uno Deo spes & fiducia collocanda, vana valeant. 84

Juveni studiosè parandum, quo senex otiosè fruatur 59

Juventus à teneris rite recteq; formanda 35

L.

Lites fugienda & bella pestifera, Pax colenda unicè, maximè 86

Ma.

GEMINUS.

M

- Magister doctrina, quàm vita melior 10
Malorum consuetudo damnosissima ideoque
accuratè vitanda 54
Mens Christiana immota, imperterrita 28
Mentem respice moresq̄, non mentum aut
vestem 13
Mentis humana cæcitas, maximè in rebus di-
vinis 7
Modestia magnopere commendanda 37
Mors certa, incerta dies 68
Munera hominum corruptela 34

N.

- Non omnia possumus omnes 58
Nusquam propemodum tuta fides, Erons sæ-
pe fallit 65

O.

- Orandum, laborandum 38
Otiosorum & inertium cura, fortune 56

P.

- Parasitica vita turpissima, odiosissima 52
Parentum ἀστογία & in educanda sua pro-
le negligentia 47
Peccatorum delicia, mores 48
Per aqua lavacrum ad cæli transimus gau-
dia, per aspera ad astra 61
H 4 Per

INDEX

<i>Per spineta ad roseta</i>	72
<i>Plagii accurate vitandi comites, dedecus & ludibrium</i>	96
<i>Potentiori cedendum</i>	14
<i>Potentum consuetudo, nec planè fugienda, nec nimis expetenda</i>	25
<i>Proles non degener Parentis gaudium</i>	24
<i>Pugnandum, laborandum in omni vita Christiano</i>	98
Q.	
<i>Quies ignava odiosa, ignominiosa</i>	21
S.	
<i>Sacrilegii pœna certa & gravis</i>	17
<i>Scenæ serviendum, salva honestate, & temporis</i>	93
<i>Scholæ Ecclesiæ Reip₃ publicæ seminaria</i>	69
<i>Sortis suæ neminem pœniteat</i>	45
<i>Sorte sua quis contentus?</i>	92
<i>Spartam quam nactus es, orna, mutatio periculosa</i>	67
T.	
<i>Tempori forog₃ serviendum</i>	18
<i>Tiresias domi, fortis Lynceus</i>	44
V.	
<i>Vanitates terrena aspernanda</i>	90
<i>Vanitatum splendor inanis, inutilis</i>	63
<i>Veri-</i>	

GEMINUS.

<i>Veritati doctrinaeque caelesti non miscenda in-</i>	
<i>venta, commenta aliena</i>	71
<i>Via in caelum regia</i>	94
<i>Via non mollis ad astra ducit, mutantur tri-</i>	
<i>stia letis</i>	100
<i>Victoria premium gloriae corona</i>	95
<i>Vir bonus quod superior, eodem modestior</i>	3
<i>Virtutis comites gloria et invidia</i>	4
<i>Vita haec incerta, dubia, periculi plena</i>	26
<i>Vita omnis miseria est</i>	36
<i>Voluptas pernicies pestisque humani generis</i>	66
<i>Vulgi voluntas flexibilis, favor instabilis</i>	97

INDEX II.

Rerum,

A quibus similitudo ducitur.

A.

<i>Aegaeum mare</i>	ep. 85	<i>Aranearum tela</i>	31
<i>Ager</i>	41	<i>Arbor admiranda in</i>	
<i>Ajacis scutum</i>	40	<i>Insula Ferro</i>	11
<i>Ancora</i>	84	<i>Arca Noe</i>	2
<i>Andabata</i>	91	<i>Architectus arce No-</i>	
<i>Apis Virtutum magi-</i>		<i>achi</i>	10
<i>stra</i>	30	<i>Aves nocentes, inno-</i>	
<i>Aqua Marana</i>	64	<i>centes</i>	75
<i>Aquilinae penna</i>	17	<i>Avicula cavea incl.</i>	92
		<i>Au-</i>	

INDEX

<i>Aurum</i>	80		
		E.	
B.		<i>Equiemtor</i>	13
		<i>Equus</i>	5
<i>Baculus Mosis</i>	65	<i>Euripus</i>	15
<i>Belluæ immanes</i>	86		
		F.	
C.		<i>Ferrum</i>	79
<i>Campana</i>	10	<i>Flamma</i>	39
<i>Canis ignavus</i>	39	<i>Flos</i>	9
<i>Carcer & Thronus</i>	79-	<i>Flumen & Spica</i>	57
<i>sephi</i>	100	<i>Fuci</i>	56
<i>Cantes Marpesia</i>	28		
<i>Cera</i>	35	G.	
<i>Cervus</i>	6	<i>Gubernator navis</i>	38
<i>Cicada & formica</i>	59		
<i>Cælum</i>	21	H.	
<i>Cornicula alienis or-</i>		<i>Hamus, Laqueus, Rc-</i>	
<i>nataplumulis</i>	96	<i>te</i>	66
<i>Corvus</i>	47	<i>Hirudo</i>	49
<i>Crepundia</i>	90	<i>Hirundo</i>	46
<i>Cygnus</i>	12	<i>Hortus</i>	69
D.		I.	
<i>Danaides</i>	82	<i>Ickneumon</i>	16
		<i>Ignis alienus</i>	71
			Joab

RERUM.


Joab & Judas	74	O.	
		Oculus	88
L.		Organa Musica	33
Lamie	44		
Lentis pulmentum	73	P.	
Leo	50	Pastor	81
Luna	97	Pavo	55
		Persona	25
M.		Pharos	42
Mare	36	Pictor	24
Mare rubrum	61	Polypus	18
Medicus	76	Poma Sodomitica	63
Membra corporis	51	Porci	32
Miles	60	Prometheus	43
Miles in armis laborans	98	Psylli	14
Mus	52	Pullus & porcus	19
Musca	62		
		R.	
		Rosa	8
N.		Rota	89
Navigatio	26		
Noachus aram extruens	22	S.	
Noctua	7	Saxum sepius volutum	67
Nux. Spina. Aculeus		Saxum Tantalii	68
apum		Scala Jacobea	94
		Sci-	


INDEX RERUM.


<i>Sciluri fasciculus</i>	87	<i>Trutina</i>	34
<i>Serpens</i>	99		
<i>Simia</i>	23	V.	
<i>Sol</i>	3	<i>Vas</i>	20
<i>Statua Mercurialis</i>	10	<i>Veli adventum dire-</i>	
<i>Struthio</i>	27	<i>ctio</i>	93
<i>Sus</i>	48	<i>Viator</i>	72
<i>Sutor</i>	77	<i>Victor coronatus</i>	95
		<i>Vineta, roseta</i>	58
	T.	<i>Umbra</i>	4
<i>Talpa</i>	53	<i>Upupa</i>	57
<i>Tessera</i>	45	<i>Vultur</i>	83
<i>Testa</i>	78	<i>Uxor Lotbi</i>	70
<i>Torpedo</i>	54		


F I N I S.











AB:67 $\frac{11}{d,6}$

ULB Halle

3

005 129 125





Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

2

TURIA
ERTIA

STO.
RUM,

complexa,

Quibus
onitaq̄ve moralia
ensa, exponun-
tur.

Auctore
CO HILDEBRANDO,
Martisb. Rectore.

✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻

P S I Æ,
HEINR. FROMMANNI.
Christiani Banckmanni.
C LXXXIII.